



Res
4202



N.º

Estante P.
Prateleira 2

MICROFILMADO

28-10-03

F.R.1076

[Handwritten signature]

MICROFILMADO
F.R. 1076

Ames

VICTORIA COLLEGE

THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY

1912

1913

1914

1915

1916

1917

1918

1919

1920

Victor Perez
Apenso 8

Hieronymi Car-
DOSI LVSITANI.
LIBELLVS

De terra & motu.

De vario amore & gloga.

De disciplinarum omnium laud.

Oratio.



CONIMBRICAE.

Apud Ioannem Barrerium, & Ioannem
Aluarum Typographos Regios.

M. D. L.

COMPRA

237184



CONMIBR 308

Apud Johannem Baptistam de Johannsen
M. D. C. C. C. C.

HIERONYMVS CARDO-
 sus clarissimo puero Roderico Gōsal-
 lo à camera Emanuelis à camera
 D. Michaelis insulæ ducis, &
 præfecti maximi filio
 S. D.



VI lucubrations suas / & ingeniorum monu-
 menta in lucem antehæc ediderunt / puer clariss-
 me / nulla alia re (vt ex ipsorum libris apparet) ve-
 herentiusangebantur / quàm quòd à venenatis
 barbarorum sagittis / & inuidorum aculeis / par-
 tusq; suos consorsum iri pro indubitato habebat.
 Quam quidem aleam nulli propè scriptorù om-
 nium / quantùmuis emendatissimè scripserint / effugere potuere.
 Ad cuius veneni depulsionem hoc velut antidotum / præsentiq; reme-
 dium excogitarunt: vt vel regibus / vel principibus / aut aliis magni
 nominis viris / tanquam diis tutelariis opera sua consecrarent.
 Quorum autoritas / tametsi inuidiam omnino extirpare non poss-
 set / id enim / difficilimum / effrenatam tamen cauellandi licentiam
 reprimere / lenireq;. Quorum sequutus exempla / quauis & inge-
 nio & doctrina inferior / satis mihi consultum putavi / si tibi ma-
 gnæ spèi puero / & paternis & maternis imaginibus vndique exor-
 nato / vigilias meas / qualescunque inscribere / vt splendore tuo per-
 terrefacta inuidia / tuè stigilio hinc fugam faciat / nec audeat quicquã
 circumrodere. Illud præterea me ad hanc rem non inuitum impus-
 lis / quòd cum patris erga me tui clarissimi viri studiù propensumq;
 animum cognoscerem / magnam enim de nostra eruditione conce-
 pit opinionem / hoc munusculo tibi gratificari cupiebam. Cuius
 lectio non admodum difficilis / nec salebrosa / sed aperta & facilis
 (semper enim perspicuitatem amavi) præter frugem plurimum tibi
 diuoluptatis / et set allatura. Quare à te magnopere peto & oro / vt
 hosce libellos nostros tibi dicatos / iussuq; tuo emissos / studiose les-
 gas dum per otium licuerit / & te ab aulæ tumultu ad quietiora lites-
 rarum studia reuuleris / vel ob id potissimum / vt mei memoriam / quã

apud te aboleri molestissimè ferrem/legendis nostris retineas: **no**
 mineristq; sub meis vexillis olim aliquandiu meruisse & humanio-
 res literas didicisse. Cæterùm de terræ motu libellum crebrius quàm
 reliquos velim traçtes & euoluas; qui redemptionis nostræ anno
 millesimo quingentesimo tricesimo primo/septimo calēdas Febru-
 arii antelucano tempore die iouis non sine multorū elāde/& uobi-
 lissimæ edificiorū ruina Olisipponem/ Olisipponensiq; fines repente
 inuasit. Quæ res mihi imprimis digna viâ est/ quæ literis mandare
 tur/ ne obliuione aliqua aut vetustate à mentibus nostris excides
 ret. Nunquam enim quidpiam simile nostri homines non solè, non
 meminere/ sed ne audierunt quidem. Extremum illud/ vt me huma-
 nissimo patri tuo mecornati meo atque patrono (quoties dabitur
 occasio) etiām atque etiām commendes. Cuius fauore & aurovita-
 te fretus in publicum prodire sum ausus. Bene vale/ ornamentum
 meum: & me/ vt par est/ iuuare atque tueri ne desinas.

Data Olisippone pridie calendas Ianuarii, Anno salutis nostræ,
 M. D. XLVIII.

Addiuã Mariam

Hymnus.



V cerna cœli fulgida,
 Mundi repellens tenebras,
 Mater Dei sanctissima
 Aue redundans gratia.
 Vita tuæ integritas,
 Tuiq; mores candidi
 Deum vocarunt maximū,

Tuos vt artus posceret:

Nostramq; formam sumeret,
 Cœli relinquens atria:
 Humillimum se præbuit
 Verus homo, & verus Deus.

Tu sola præter cæteras
 A Eui prioris virgines
 Ad hoc nouum miraculum
 Inuenta tandem purior.

Soli tibi recludere
 Cœlestis aulæ ianuam,



• DE TER. MOT.

Quam prima clausit fœmina,

Datum potenti gratia.

Per te recluso carcere,

Ac dissolutis vinculis,

Legis vetustæ principes

Sedes volarunt ad poli.

Per te stat orbis machina,

Lapsura ob nostra crimina,

Ni precibus creberrimis

Reddas Deum placabilem.

Nullo satam te crimine

Omnes fatemur firmiter;

In te suas intelligi

Natura leges noluit.

Origo primæ fœminæ

Mortem tulit sequentibus;

Ortus tuus salutifer

Vitam reduxit protinus.

Nobis dedisti naufragis,

Quos unda feruens merserat,

Portum, quietem, liberans

Nos à procellis turbidis.

Supra choros cœlestium
Fulges amicta lumine
Atque angelorum cantibus
Regina cœli diceris.

Ergo faue mitissima,
Pro me precare filium,
Qui ventre sub sacerrimo
Claudi tuo non abnuat:

Vt me periculis eruat,
Suamq; fundat gratiam:
Vt vita crimen nesciens
Mortis sagittas negligat.

AMEN.

HIERONYMI CARDOSI

Lusitani De Terræ motu

Libellus.



Elluris magnæ horrendum memora-
re tremorem,

Qui subito totas formidine terruit
vrbes,

Percussitq; animos tacita sub nocte iacentes,

Plurimaq; euertit miserando mœnia casu,

Mens auet Aonio iam dudum instincta furore.

Sed prius, o cœli fabricator maxime, & orbis,

Astrigera qui cuncta potens moderaris ab arce:

Et freta ventosis toties tumefacta procellis,

Vicinas nequeant confundere gurgite terras,

Contrahis: & suetis prohibes excedere metis:

Quiq; etiam sacro spiramine virginis aluo

Clausus Idumæ, morientia secula vitæ

Munere donasti, cœlumq; habitare dedisti,

Clauserat antè suo genitor quod crimine primus:

Pande nam dictis, valeam tua promere signa,

Et cantare pio tanta hæc miracula plectro:

Languentemq; fove scribenda ad carmina dextrā:
Mentis & implicitæ tenebras, nubemq; resoluē.
Ut quum posteritas leget hæc, quæ feceris olim,
Horreat: & misera fugiat contagia vitæ,
Præterita expendens: vitamq; subinde probatis
Moribus exornet, rectosq; exerceat actus:
Synceròque tuum veneretur pectore numen.
Nec nos incestos superùm narramus amores:
Mutatâsq; hominum peregrina in corpora formas:
Tartareique Iouis raptus, Cererisq; labores
Amisâam terris natam quærentis, & vndis:
Semibouemq; virum, monstriq; tricorporis vmbra:
Latratumque canis triplicem, cinctamq; colubris
Gorgona: nec iuuenes serpentum dentibus ortos.
Nec cur anguipedes extructa mole gigantes
Pellere sydereâ tentarunt sede tonantem.
Donec fulminibus crebris, tonitrûque tremendo
Depulsi, Geticam macularunt sanguine Phlægram:
Phæbeos tripodes, Heliconiadesq; puellas,
Et Bacchum, & patrio de vertice Pallada natam:
Et quæcunque vocant antiqui numina vates,
Tanquam vera minus, necnon mentita relinquo.

Iam post quingentos & mille ab origine summi
 Artificis rerum tricesimus annus & unus
 Cœperat, assiduis cum tellus cana pruvis
 Stringitur, atque gelu concresecunt flumina pigros
 Cum nec dulcisonis liquidas concentibus auras
 Garrulamulcet avis: ridet nec floribus arbor
 Exornata suis: glacie sed operta niuali
 Amissas luget ventorum turbine frondes:
 Septen&q; aderant mœstæ infestæq; calendæ
 Febre tuæ exitio multis cladiq; futuræ:
 Diluxitq; dies Iouis almi à nomine dictus,
 Ater, & haud alius quàm cui dedit Allia nomē:
 Sydera cum promo vellet iam cogere mundo
 Lucifer, & fessus traheret sua plaustra bootes:
 Tum subito toto quassata à cardine tellus
 Mugitu horrifico intremuit, magnoq; fragore,
 Atque repentinis ruere omnia visa ruinis.
 Tum iuga sylvarum, & totas cum mœnibus vrbes
 Intremere, & celsos agitare cacumina montes
 Aspiceres: etiam mutare à veritate colles,
 Atque ima de sede quatit: tunc ardua turre
 Culmina, ceu validate: tude pulsa mouere.

Omnis ab inferna visa est radice reuelli
 Arbor, & ut tactæ boreali turbine frondes
 Impleuere solum, & matris liquere lacertos:
 Turriti scopuli, præruptaque saxa volare,
 A summis conuulsa iugis: atque impete vasto
 Pastorum tremulas prosternere funditus ædes.
 Dissiliens sine more solum metuenda reclusit
 Infernæ secreta domus: totumq; videri
 Penè chaos poterat: manes timuere profundi,
 Ne subitis titan radijs sua regna feriret.
 In fontes rediere suos Duriusq; , Tagusq;
 Auriferi, & refluos sparsere cacumina cursu:
 Atque alij summis certarunt collibus amnes.
 Oceanus fluctus retro pater egit: & amens
 Faunorum petijt declinia littora cætus.
 Attonitæ stabula alta metu, latebrosa q; , tectæ
 Deseruere feræ: & montes collisque relictis
 Vallibus, & campis cursu petiere citato.
 Tendinæque sibi insidias, ue dolosque putabant.
 Nec pecudes timuere minus sibi: nanq; e voraces
 Approperare lupos, vultusq; inferre m naces,
 Ut rabiem ventris natorum cæde, suaq; ,

Atque sitim multo satiati sanguine ponant,
 Credebant: fecere fidem latrantia multum
 Ora canum, timor ille nouus quos impulit idem
 Edere latratus per vasta silentia noctis.
 Non Thrasymeneos attollat fama tremores,
 Quos Latia, & Libycæ nunquam sensere cohortes:
 Pugnandi tantus furor, & tam cæca libido:
 E pedibus quanquam pugnantis militis omnis
 Subtraheretur humus, caderentq; impune caterua
 Arma super: nec cur caderetur scire licebat.
 Næue Asia memorent iam secula prisca tumultum
 Viderunt Tiberi quem tempora Cæsaris olim,
 Quauis bis senas ceu gurges sorpsit vrbes.
 At vos, qui causas rerum, & primordia mundi,
 Naturæq; vices studio perpenditis acri,
 Ediderit tantos quæ causa, requirite, motus?
 Sitne hæc astrorum vis atque potentia cæli,
 Cuius ab influxu terrestria cuncta reguntur,
 Vt perhibent vates, Babylon quos extulit ingens?
 An zephyri totum quatientes flatibus orbem,
 Supposuere cauis cum primùm terga cauernis,
 Quas aperit titæ, quoties flagrantibus orbem

succendit loris, finditq; caloribus agros:
Quumq; redire parant, faciles nec habere recursus
Possunt, nec rimæ, per quas adiere, patefcunt,
Brumali tellus cum frigore clausa rigescat:
Concutiant latè terras, agitentq; tremores?
An patris ætherei statuat sic inclytus ordo,
Omnia cui nutant, tremunt & conterritus æther?
Qui mare turbari ventis, rapidisq; procellis,
Placariq; iubet rursus: qui fixit in ipso
Aere tellurem, stabilemq; manere coegit,
Immotamque coli: sed quum volet ipse, lactanti
Cardine dissiliet, tenuesq; volabit in auras.
Ast eadem populis tempestas horrida clades
Intulit innumeras: multos lucemq; supernam,
Optatosq; dies, æuiq; relinquere cursum,
Et subitæ casum mortis perferre coegit.
Nec numerosa suos auri, argentiq; talenta
Eripuisse queunt dominos: nec celsa columnis
Atria Tanareis, ebore aut laqueata nitenti
Reddere securos reges valere potentes.
O nimum incensi, auriq; cupidine capti
Mortales, agitat quos improbus ardor habendi:

Quid tantum immensas terra pelagòque petitas
 Diuitias cumulare iuuat, quibus atra profundi
 Regna iouis, ripasque imi Phlegetontis aditis?
 Hæ somnos adimunt: nequeunt hæ leta laborum
 Præmia, sed varios animis adferre timores.

Quas olim cumulastis opes, prodesse saluti,
 Dicite, quid possunt, ubi mors violenta minetur?

At cur æthereos virtus paritura recessus
 Negligitur, cæcisque iacet cur mersa tenebris?

Sed qui tecta loco sensere labantia firmo,
 Pro se quisque suæ vetuere pericula vitæ.

Hic sylvas, & rura petit tremebundus, & expertus
 Ipse sui: res timor adychiebat eunti:

Egrediturque domo penetralia nota relinquens:
 Nec solito meminit componere corpus amictu.

Ille ubi stridentestabulas, postesque, trabesque
 Circumagi sensit, rapidæ vertiginis instar,
 Profiliens lecto fures exclamat adesse.

Hic mauult pigro noctem percurrere somno,
 Quàm surgens certi discrimina pellere lethi.

Vxor colla viri, natosque amplexa tenellos,
 Extremam cum fortè diem venisse putaret.

Nunc pariter moriamur, ait, charissime coniux:
 Ultima nanque vocat lux irreparabilis ævi.
 Quas dederit clades noctis lachrymabile tempus,
 Atria quot ruerint nitido de marmore facta,
 Templaq; celsa deùm, rapido ceu fulmine tacta,
 Aut quot tangentes sublimia sydera turrets
 Sedibus ex imis, imòque à cardine motæ
 Ingentem magno traxere fragore ruinam,
 Quis nullis memoret lachrymis, nullòque dolore?
 Antè tamen clades patefecit seua futuras
 Prodigijs natura nouis: nam luce serena
 Solis ad occasum multo tunc igne nitentis
 Ingens in medio se protulit æthere signum,
 Porrecta in longum, tenuis ceu linea, nubes.
 Turbatos etiam putei effudere liquores,
 Et quorum tetrum quisquam vix posset odorem
 Naribus admotis tolerare, grauèmq; vaporem:
 Qualis ab immundo sentinæ effunditur ore.
 Quæq; prius liquidis hausta est è fontibus unda
 Purior argento, fluxit tum decolor, atque
 Sordida sulphureum non inficiata colorem.
 Et, nisi vana ferunt habitantes rura, per imas

Auditus Valles, nemorumq; per auia clamor
 Humano similis: magnas quoque terruit vrbes
 Armorum fragor impellens tinnitibus auras,
 Mugitus; frequens furuis elapsus ab antris.
 Vos etiam volucres venturæ signa dedistis
 Non dubitanda luis: siquidem sedisse trementes
 Arboribus visæ, pennasq; agitaſſe pauore.
 Sed nec lucifugus bubo, nec noctua diro
 Carmine ceſſarunt venturam aperire procellam.
 Gramma non illis pecudes carpiſſe diebus,
 Artonitus celsa pastor de rupe notauit.
 Vbera non hædi matrum ſuxere: bouesq;
 Abſtinuiſſe lacu trepidi ſtupuerè bubulci.
 Et quitum Libycis errabat miles in oris,
 Retulit horrenda voce infremuiſſe leones.
 Quin & ſanguinei viſi volitare cometæ
 Aera per medium iubar exitiale trahentes,
 Terrificum crinem, & permixtum lampada fumo.
 Quod penitus populos, & mæſtas impulit vrbes
 Humanis tandem diffidere rebus, & Ultra
 Poſſe aliquam vetuit prorsus ſperare ſalutem:
 Multaq; ſollicito verſare in corde cogit.

Est qui magnorum portendere funera regum,
Sive luem cæli, sive horrida bella, famemque
Afferat: est alius, tristes qui impendere morbos
Humano generi, & sui nempe nuntiat annum:
Alter telluris subitos cavet affore motus,
Et ruitura super pavitantes tecta colonos.
Sed non augurium procul absuit: omnia vera,
Et veros docuit post exitus ipse timores.
Pontus quænetiam, ne tellus sola malorum
Signa daret, miseræ signauerat antè ruinas,
Attollens magnos (dictu mirabile) fluctus,
Turbassent undas cum flamina nulla iacentes,
Et placidum nullæ violarent æra nubes,
Clauderet & cæcis cum Ventos Acolus antris.
Obstupuit tantis tremefactus nauita monstris:
Et dubitat quæ causa ferat, cessantibus austris,
Cur freta tam densis agitentur tota procellis:
Artis opem se scire negat: trepidusque fatetur
Se tam monstriferos nunquam meminisse tumultus
incubuisse mari: quanuis per tempora longa
Fregerit oceanii rostratis nauibus undas.
Cum subito validos sensit stridere rudentes,

Intremuisse foros, carchesia summa moueri,
 Linteaque, & malos, antennarumq; cacumen,
 Quicquid & interius positum: tum denique totam
 Quassari signis terram intellexit apertis:
 Luce noua totum Phœbus cum visceret orbem,
 Redderet & rebus sublatum nocte colorem.
 Quæ populi facies metuentis, quantus vbiq;
 Mœror erat, quantus matrum per mœnia luctus,
 Obritos artus, perfractaque corpora passim
 Informi sanie gelidoque madentia tabo
 Sub saxi, trabibusque simul defossa videres:
 Exanimes vultus penitus tellure refossa
 Expediunt duri percussos pondere saxi:
 Semineces alij moribunda per ora cruorem
 Eruçant, mixtumq; cum sanguine virus. atro
 O quoties coniux, lacerum dum fortè maritum
 Repperit, & truncos lapidoso ex aggerenatos,
 Exululat crebris feriens sua pectora palmis.
 Ipselicet Libycos superes ferit atelcones,
 Hircanâsuet ygres, cum pignora rapta sequuntur:
 Durior aut adamante licet sis, atque metallo:
 Duritiam tamen, & sæuo de corde rigorem

Talia conspiciens ponas, multumque doleres,
 Et faciem multo paterere madescere fletu.
 Hoc tamen obicitur miseris, quod pectora multum
 Exanimat, pauidasque replet formidine mentes.
 In vulgus siquidem rumor diffunditur anceps,
 Quem soliti astrorum cursus, caeliq; meatus
 Noscere, sparserunt vates: nam fluctibus omnes
 Oceanum tumidis terrasque Urbesque, caneant,
 Mersurum, & vasta cuncta absorbenda palude:
 Insuper & toto ruituros aethere nimbos
 Grandine permixtos: nec non fera fulmina densis
 Concita fulguribus, tonitruoque horrenda minaci.
 His tremefactus erat populus, metuensque malorum
 Obstupet: & quaecumque potest Deus ipse, pauescunt,
 Quaeq; ipsi meruisse sciunt. tunc ardua quisque
 Terrarum, & colles, & caelo proxima quaeque
 Quærere constituunt, subitastutamen ad undas
 Mœnia dein vicina mari, sedesque relinquunt.
 Virginei cœtus diuum per templa frequentes,
 Perfusiq; genas lachrymis, & pectora palmis
 Assiduis tunsis, veniam auxiliumq; precantur:
 Nec vultus finxere suos, velut antè solebant,

Candida nec Syrio cervix fucatur amomo:
 Oderunt festos cultus, habitusque decoros,
 Nec nisi lugubres gestare iuuabat amictus.
 Vt quondam ancipiti tremuit formidine Roma
 Horrida civilis metuens præsagia belli,
 Scilicet infaustis cælum fulgescere flammis,
 Et titana suo defectum lumine terris
 Nocturna in media traxisse crepuscula luce,
 Et subitos imis manes exire sepulchris:
 Haud secus attonitæ dubio discrimine vitæ
 Expauere nurus: iuuenēsque senēsque sequuntur.
 Sed cum lethifera multi sine more perirent
 Noctē, sopor miseros habuit quos vltimus antè,
 Audebat tremulis nemo se credere tectis,
 Horrificos iterum metuens instare tremores:
 Arua sed extructis texere virentia lectis,
 Atque agros habuere domos: ceu prisca vetustas
 Vmbriferis homines memorat vixisse sub antris,
 Et dulces patulaca pisse sub arbore somnos,
 Cum rudis atque recens mundus, dū sceptrateneret
 Saturnus, facerētque suis secla aurea regnis.
 Heu stulti, nimiūmque rudes, cur creditis vsquā

Insidias mortis fugiendo euadere possc?
 Nec freta, nec tellus, nec concaua saxa, nec ima,
 Quauis Aegæo lateatis gurgite, arena
 Celabunt, si fortè Dei flagrauerit ira
 Immensi: verùm semper pius ille serenam
 Omnibus ostendit frontem: nec crimina nostra
 Tot repetita modis, sed se consyderat ipsum,
 Qui nunquam pietate caret: nam cernere cuncta
 Si vellet, quæcunque agimus, pœnâsque malorum
 Sumere nostrorum, atque vlcisci singula: certe
 Deucalionis iterum mergenda procellis
 Terra foret: rapido vel fulmine cuncta perirent:
 Hisceret aut toto conuulsa à cardine tellus,
 Omnes ad Stygias vt mox detruderet ymbas.
 Plectimur ergo piè meriti grauiora subire,
 Ni pietas alti teget nos summa tonantis.
 Quare tot signis moniti, tot deinde periclis
 Tentemus meliora sequi: nec dira libido,
 Néue voluptates superent: virtutis amore
 Nitamur vinci. quid enim tam tristia monstra,
 Sæua fames, terræq; tremor, rabiosaque pestis,
 Aegra repentina qua corpora morte peribant,

Declarat, præsens cuncta hæc quæ protulit annus?
 Nempe, ut mutemus mores: si quid malè partum,
 Reddamus dominis: inopes solemur, & ægros:
 Insidias struere, & fraudem caueamus: acerbi
 Si quid fors tulerit, leuiter placidèque feramus,
 Noscamusque Deū, nanque hæc si tantulaterrent,
 Quid, quum terrifico tonitru pulsabit olympum,
 Quo mare, quo terræ, quoq; æther et astra tremiscāt?
 Immittetq; ignem, flammâsque effundet in orbem.
 Tunc erit ille timor verus, veri q; dolores,
 Et veri gemitus, & non medicabilis horror.
 Et quæ nunc patimur, ludicra putabimuse esse.
 Tetamen imprimis moneo, prædiues Olispo,
 Nunc Lusitani regni caput & decus, vrbes
 Quæ præter reliquas tot diuina infanda tulisti:
 Vt tantis vexata malis patienter inanes
 Deponas fastus, nèue imperiosa tumescas:
 Et fieri posthac melior sine fine labora,
 Extinctis vitijs: quorum non copia maior
 Est alibi, gliscuntq; tibi quæ semper in horas.
 Quoque magis properes, ipsam te respice, quantum
 Dissimilis sis tota tui: tua mania partim

Lapsa iacent, partim multo tibi cine fulta
Ad primum ruitura notum: speciosa deorum
Pendent templa, fugantq; suos rimosi ministros.
Quæq; modò Europæ præstabas Urbibus altis,
Nunc prostrata iaces deformis & horrida visu.
Insuper exagitat pestis te dira: quibusque
Tecta pepercerunt, rapit immitissima ciues.
Hinc te seu a fames monstrum miserabile torquet:
Quosque lues terræ, ac cælinon abstulit, aufert.
Atque vitam his contenta Dei desæuiat ira,
Nec ruat ulterius: quanuis mala plura mereris
Ob tua facta pati: verùm si noxia cuncta
Depuleris, morèsque tuos correxeris, ultra
Incolumi cælo, glebâque fruere feraci:
Inq; suo stabilis requiescet cardine tellus.

In maledicum De Terræ Motu libellum vituperantem.

*Quid cecini quantus trepidas inuasit vrbes
Motus, & ut cecidit cardine terra suo:*

*Luide latratu me circumrodīs aperto,
Et rabido curas polluisore meas.*

*Dic mihi, quid potius poteram meliùsue referre,
Scribere quàm magni signatimenda Dei?*

*Sed cum tartare istua mens exæstuet hydris,
Spargere nil præter toxica sæua potes.*

*Quod si fortè tibi placuissim, nostra putarem
Vilia, & immundo sordidiora luto.*

*Nunc mihi iam placeo, & videor meruisse coronam,
Cum tibi displiceo, cui mala sola placent.*

*Petrus Sancierus ad Hieronymum
Cardosum.*

*O cui Phæbeas licuit decerpere laurus,
Atque noua doctum cingere fronde caput:
Cui dedit ipse suum plectrum Tymbræus Apollo,
Cui dedit ipsa suam Calliope alynam.*

Quid te sollicitant indoctæ murmura plebis?
 Nunquid ab indoctis doctus amandus erit?
 Antè lupi ferient fœdus cum mitibus agnis,
 Et lepores iuncti cum cane fonte bibent:
 Atque ichneumonis cessabit in aspidas ira,
 Et Iouis armigeram dulcis amabit olor.
 Nonne olim vulgus risit persæpe Maronem?
 Nasoque liuentem pertulit inuidiam?
 Carpsēruntq; alij cultissima carmina Flacci,
 Ipseque non caruit verbere Mæonides.
 Improbus & stultus, quæ non intelligit, odit,
 Et damnat: doctus displicet inuidulo.
 Sperne ergo turbãq; rudem, populũmque prophanũ,
 Et tua mi, & musis carmina, quaeso, cane.
 Attu, qui turpis succum loliginis atrum
 Liuide suffundis, nil (mihi crede) facis.
 Nam licet ipse velit lacerare hæc carmina liuor,
 Non poterit, dentes conterat vsque licet.
 Perpetuò viuent terris: dubiũmque videtur,
 An sint cum terris interitura simul.
 Comprime stulte igitur dignã fædo in gume linguã:
 Aut ungues si vis rodere, rode tuos.

Ad eundem.

Cardose, indoctus quite, & tua carmina rodit,
Non rodat, si Ungues roderet ipse suos.

In Zoilum detractorem.

Zoile quid docti Cardoso carmina rodis,
Quæ Charites, Musæ, Phœbus & ipse probat?
Ah scio cur facias, credo vis doctus haberi:
Nonne hoc laudando consequeremagis?
Linguae, quæ lacerat bona carmina, quid precer illi?
Semper ut obscœnis hæreat in gubibus.

In eundem.

Liuidus, inuidulus, qui tam bona carmina mordet,
Ungues, si sapiat, mordeat ille suos.

In eundem.

Latrando quavis gemitibus ilia rumpas,
Et minuas dentes simul omnes,
In scriptis Cardoso nullum nomen habebis,
Ignotusque miser moriere.
Nanque mei vatis diuorum carmine laudes,
Et regum canit inclyta Musa:
Concelebratq; viros doctos, laudatq; seueros,
Atque immortales facit esse.

Tutamen insudas, ut qualiscunque legaris,
 Hos interq; cupis numerari.
 Quis, rogo, quis nigros cygnis interserat albis
 Coruos? aut blanda philomela?
 Aut quis contactum musis porrigine porcum
 Adiungat, mentis bene sanæ?
 Ergo licet latrestotis sine fine diebus,
 Attamen ignotus morieris.

Antonius à Costa ad lectorem.

Sinoua Castalio cupias perfusa liquore,
 Nec pigeat doctis sociaparua dare:
 Nec non naturæ si vis miranda videre
 Prodigia, & nullis cognita temporibus,
 Scilicet ut subito tellus concussa tremore
 Terruerit gelido saucia corda metu:
 Hunc tu (crede mihi) relegas bis terque libellum,
 Quem tibi Cardoso Musa diserta dedit.
 Nanque opere ex isto fas est deprehendere, quantum
 Delius hunc vatem, doctaque Pallas amet.
 In quo si rectè perpendas singula, dices
 Scriptum vel Phæbi, Pieridumue manu.

Nec veteres posthac iam nunc miraberis, huius

Cum ingenium videas eloquijq; melos:

Quamuis Dulichios hic cantet per freta casus,

Ille ducis Phrygiæ bella cruenta tonet.

Hinc igitur magnam cum possis carpere frugem,

Nummis hunc paucis candide lector eme.

FINIS,

HIERONY-
mi Cardosi
LVSITANI

De vario amore AEgloga, quæ Silenís
inscribitur, de que vini
inuentione,



HIERONYMVS CARDOSVS

*Hieronymode Caſtro, clariffimo adoleſcēti
auditori ſuo. S. D.*



VM NVLLIVS rei grauior ia-
tura ſit præſertim eruditis, quàm tē-
poris, Hieronyme clariffime, qui-
pe quæ reſarciri nullo pacto poſſit,
ſtatui per hoſce natalitiæ ſolēnitatis
dies, quibus à quotidiani laboris moleſtia reſpirare
tantillum licuit, ingenium languidum, ac penè ſtu-
pidū propter deſuetudinē aliquo poëmatis genere
exercere: quando per aſſiduum docendi laborē nihil
omnino licet cōponere. Cū verò ſubdubitarē, quid
nam potiſſimū cōminifceret, tandem bucolicū car-
men mihi magis arrifit: nec ab re quidem, quoniā
id tēporis Vergiliana bucolica enarrabā. AEglogā
itaq; utcūq; elucubrātā tibi, utpote ſtudiorum ſitiē-
tiſſimo, ac omnium probitate, tum egregia indole
prædito nuncupare in animo fuit. Nam cū tibi eius
copiā facerē, magnopere à me cōtendiſti, ut excudē-
dā traderē. Ego verò Ariſtarchorū obelos metuēs,
primo ſum tergiuerſatus: verū poſtea ne nō tibi
obſecūdarē, honeſta præſertim poſtulāti, expugnari
me tandē ſum paſſus. Exiſtimans nomētū mihi p-
clypeo aduerſus inuidiæ tela futurum.

Vale præſidium meum:

HIERONYMI CARDOSI LVSI

tani De vario amore ægloga, quæ Silenis in-
scribitur, Deq; vini inuentione.

Interlocutores, Dorylas, Et Mopsus.

Dorylas.



I quid Mopse vacas, gelidum veni-
amus in antrum,
Narremus veteres pariter, quos sen-
simus, ignes:

Exiguas mundo dum sol facit igneus umbras,
Torret & ardentimontana cacumina curru.

Mo. Imò etiam ad riuu currentis lene susurros
Captemus dulces frondente sub arbore somnos:
Fessaque abingenti renouemus membra labore.

Do. Non tutum dormire, lupi ne fortè ruentes
Hinc pecus inuadât, quod ruminat omne sub vltimo.

Mo. Frustra igitur fuerit rapidos aluisse molossos,
Ni veniente fera latratibus astra laceffant.

Do. Non incerta placet certis præponere: nanque
Custodes pecorum plerumq; incurialæ sit.
Insuper ipse mihi pecudes cum traderet. A Egon,
Seruandum; gregem cõmitteret, hast tibi trado

(Dixit) oues: tu ne qualupi sit præda caucto.
 Nam mercede aliter longi fraudaberis anni.

Mo. Quãdoquidẽ censes minus hoc conducere nobis,
 Accedo: siquidem præstas ætatis honore.

Sed tamen alterno fallamus tempora cantu:
 Cantu decipitur labor, extenuatur eodem
 Ipse dolor: citharã quondã cū sumeret Orpheus,
 Coniugis amissæ fertur lenisse dolores.

Do. Ergo age, quæ quondã docuit sub rupe Lycorbas,
 Dic puer, attonitum cuius me fistula sæpe
 Reddidit, errantes pecudes si quando vocaret.
 Illum præcipiti pendentes rupe capellæ
 Oblitæ cytisi, & salicum, stupuere carentem.
 Illius ad modulos syluis coiere relicti
 Pastores, quicumque habitabant montibus illis:
 Necnon monticolæ panes, satyriq; bicornes,
 Et Dryadum cætus, & cætera numina ruris.

Mo. Multa quidem docuit: sed dum Silenidis ignes
 Experior, cuncta ex animo cecidere furenti.
 Hos igitur, dum rura calent, modulabor amores
 Ex quo me sæuæ cepit Silenidis ignis:
 Tum primùm perijt, tum primùm insania mentẽ

Abstulit: & toto orbarum melumine sensi.
 Illam inter Dryades ludentem, intèrque Napæas
 Aspexi, cum pro gregibus solennia sacra
 Sylvano in pratis agitaret rustica pubes.
 Inde ego crudeli traiectus vulnere, blandis
 Alloquijs animum cœpi irritare puellæ,
 Et blandas iactare preces, flammâsque fateri.
 Illa supercilio miseram despexit amantem:
 Et fugit ad comites: metuens ceu bucula tauri
 Saltibus ex ipsis ad plena armenta recurrit.
 Et me nequicquam clamantem deserit: inde
 Mox ab eo tristis, perq; auia lustra vagabar:
 Cervus ut occulta quem pastor arundine fixit,
 Non mihi tum miser placuit velut antè fugaces
 Sectari lepores, non tendere retia cervis,
 Aut auibus laqueos, non hamo fallere piscem,
 Nec catulis orbare feras, spumantis & apri
 Non cursum clamore sequi teloq; ferire:
 Nec vaga qua volucris suspenderit arbore nidos
 Scire, nec alueolis excerpere mella cauatis:
 Nec mihi cura gregis, vitulos lacerantibus vrsis,
 Atque lupis pecudes: prorsus sine mente iacebã.

Ecce venit Lycidas: calamosque (ait) accipe, & una
 Cantemus dulces, dum se dant ocia, versus.
 Ipse nihil: nam verba dolor represserat ingens.
 Verum ubi tam saevi fluctus requieuit amoris,
 Quæ nemora, aut saltus Silenis saepe frequentet,
 Exploro, effundam ut miseris ante ora querelas.
 Illam puniceas rosulas, atque alba legentem
 Lilia conspicio, cum primum aurora ruberet.
 Tum sic aggredior: quin iam misereris amantis
 O Silentii: cur primo in flore iuuentæ
 Ferrea me cogis crudelem abrumpere vitam?
 Nonne vides ut cuncta suis animalia gaudent
 Coniungi paribus? tristem non capra maritum,
 Nec ceruus ceruæ, taurusue odere iuuentæ:
 Gratus ouis est aries, vrsæ gratissimus vrsus:
 Non equa vitat equum, lea nec truculentæ leonem.
 Sola fugis Silentium immitissima Mopsus.
 Nec cur me fugias video: si queritur ætas,
 Nondum barba manum tætoris sensit Iolchi.
 Si facies, etiam te iudice nostra probatur.
 Si robur, prædam ah quoties extorsimus vrsos:
 Strauimus & quicumque ausi certare palestra.

Quòd si te nimum reddit tua forma superbam:
 Aspice quàm vireant rosulae, quas colligis, atque
 Lilia, quæ primus veniens hebefecerit æstus.
 Si me, quòd pastor sum, despicias ipsa fugisque,
 Et te Sileno iactas genitore creatam,
 Qui patris & custos fuit, & præceptor Iacchi:
 Vanos pone animos: capras Silenus ouesque
 Pavit: & ipse greges armenta que pavit Apollo.
 Adde quòd exemplo fieri mansuetior Aegles
 Deberes matris, quæ nil remorata parentem est:
 Naiades ante alius quamvis speciosa fuisset.
 Hæc nisi te tangunt, rabidam te crede leonam:
 Toruam crede lupam, rigidis vel cautibus ortam,
 Denique tam multis effusis vocibus, euro
 Ocyus illa fugit, calathis insana relictis.
 Tum spe deposita potiundæ virginis omni,
 Protinus amisso repetoma galia sensu:
 Et gladio vitam volui finire cruento,
 Aut me præcipitem dare celsi è vertice saxi:
 Hos nisi sedaret mitis Galatea dolores,
 Quæ nunc me fouet alternæ non inscia flammæ.
 Do. Non mea tam sauo Cybaris me torsit amore:

Nectam crudeles voluit, me ferre dolores:
 Sed precibus conuicta meis se dedit vltro
 Ipsa mihi optanti, quanuis sine fine petissent
 Iam grauis Amphimedō, viridi j. etate Philemō:
 Illos posthabuit tamen: & me (dixi) habeto
 Tusulus Doryla: doluit de spectus vterque:
 Tantus & inde animū cōnexuit arder vtrum j. j.
 Venatum vt mecum semper comes iret, & vna
 Mecum nocte vigil trepidum lustraret ouile,
 Et mulgeret oues mecum simul, atque capellas.
 Si cauerem versus, versus simul ipsa canebat:
 Inflare calamos, calamos inflabat & illa.
 Sed satis indultum musæ, iam Phæbus opacat
 Decedens montes: pecudes age Tytire pastas
 In stabula, en pronolucet iam vesper olympo,
 Columba vnde Veneri dicata.

Certatim Idalius puer & Cytherea legebant
 Pallentes violas puniceasque rosas.
 Sed puer assumptis Venerem cum vinceret alis,
 Impleret j. sinus ocyor ille suos:
 Attulit auxilium tum nympa Peristera diua:
 Vincitur ecce puer qui modò victor erat.

Risit leta Venus, subitam puer arsit in iram:
 Et cupiens nympham perdere, fecit auem,
 At Venus immeritæ casum miserata puellæ,
 A Eternum volucris tu mea dixit eris.
 Candida nunc altis in turribus exigit æuum,
 Aut tectis Gnidiæ grata columba deæ.

Ad Martiam se in fonte contēplantē.

Quid formosa tibi grataris Martia? vani
 Iudicio fontis cur tibi tota places?
 An quod Apellæ nequeant præstare tabellæ,
 Præstiterit fallax umbra fluentis aquæ?
 Multum, crede mihi, forma detraxit ab ista,
 Cum te dissimilem reddidit unda tibi.
 Quòd si fata darent ipsam te cernere posses,
 Vt nosses formæ muneratanta tuæ:
 Quàm malè dixisses forma est mea cognita fontis
 Quàm malè mendaces me simulastis aquæ.
 Naiades his igitur formam mirentur in undis:
 Fingere quam veram qualibet unda valet.
 Attua supremo cum sit Ioue digna figura,
 Effingit nulla iam ratione potest.

Ad eandem.

*Desine diuinam faciem, vultusque decoros
Mirari in vitro Martia fonticulo.*

*Non hic te referet, sed sallet prorsus: & istud
Formæ grandæ tuæ detrahet ille decus.*

Ad conuiuas exhortatio.

*Hunc celebrate diem, tristemq; remittite frontem,
Conuiuæ placidi, nec dolor argat atrox.*

*Ponite, si qua dolent, vigilésque effundite curas,
In Libyam mæror prouolet, atque Pharon.*

*Verba sonent permixta iocis, risuque procaci
Nunc Fescennos huc reuocate sales.*

*Sumite deposito spumantia vasa magistro,
Inq; coronato proluite ora mero:*

*Nunc impune licet totos siccare trientes,
Nec leges potu nec retinere modum.*

Sobriaturbapatrinimis est infesta Lyæo:

Qui volet esse Deo gratus, abundè bibat

Ad eosdem de fabulis agentes,

& de vini inuentione.

Parcite prisorum mendacia quæere vatuu.
 Attica non Progne, nec Philomela fuit:
 Aera caratis secuit nec Dædalus alis,
 Pasiphae nec se subdidit vlla feræ.
 En alio vestras sermone morabimur aures:
 Nanque voluptatis plus habet, ac fidei.
 Quis primùm in terris genialem inuenerit vnam,
 Et primi referam quæ sit origo meri.
 Digna quidem scit ures est, & cognita paucis:
 Indicio fiet sed manifesta meo.
 Antelaboriferi diuiniq; Herculis ortus,
 Non vini, aut vitis cognitus vsuserat:
 Sed dulces liquidis hauribant fontibus vndas
 Mortales, quarum copia grata fuit.
 Ipse domum rediens sic iunia fessus arator
 Soluebat potu, quem dabat amnis aquæ.
 Asper & incultus sine honore Timole iacebas:
 Quitegeret colles nil nisi dum userat.
 Horrebant spinis nondum fœlicia Baccho
 Massica Campano nunc celebrata solo.
 Ante aras vino frontem non sparsa cadebat
 Victimæ cœlitibus nec placitura minus.

Ornabant mensas regum non vina secundas:
Pura sed à vitreis fontibus unda fluens.

Deniq; tam multis annorum cursibus vnus
Potus diuitibus pauperibusque fuit.

Doctam Aetolis inuenta est Vallibus vna:
Fluxerunt vnde munera Bacche tua.

Pastor erat Staphylus, sic rustica turba vocabat,
Notior Aetola qui regione fuit.

Oeneos huic regis latam Calydonia regentis
Pascua parebant: omnigenumq; pecus.

Hic dum fortè greges ad pabula duceret, vnam
A grege conspexit semper abesse capram.

Serius hæc reliquis præsepia nota petebat:
Latior & cunctis visa redisse domum.

Quam semel atque iterum pastor speculatus, eunte
Suspensosequitur nec properante gradu.

Illa subit rupem, velut antè assueuerat, altam:
In qua prædulcis fortè racemus erat.

Observat tacitus, nec vult accedere pastor,
Donec quicquid edat læta capella, notet.

Explorata satis postquam videt omnia, tandem
Profilit, & celeri tendit ad alta pede:

Repperit & vitem secreta in stirpe latentem,
 Quam circum pendens enitet vva rubens:
 Colligit, atque noui stupefactus imagine pomi,
 Detulit ad regis recta superba sui.
 At rex attonitus fructus nouitate recentis,
 Hæc (inquit) magni dona dedere Dei.
 Deinde acinos gustans stupuit magis ac magis ille,
 Tantæque dulcedo visque saporis erat.
 Nec contentus eo est: congestos nanque racemos
 Suppositis pateris pressit vtraque manu:
 Defluit ex templo longè gratissimus humor,
 Cecropios possit qui superare fauos.
 Quem cum seruaret, senio mitescere sensit:
 Et trahere ex longa commoda plura mora.
 Tempore non longo post, Bacchus fertur ad illas
 Diuertisse oras, Indica regna petens.
 Excipit hospitio rex hunc, mensisq; liquorem
 Seruatum apposuit, cognita dona deo.
 Sed iam digrediens magno pro munere regi
 Ostendit, vites qua ratione serat:
 Atque vices docuit varias, tempusque serendi,
 Et quo vina simul sint facienda modo:

Vtq; repertores viniq; vuæq; sequatur
 Gloria, nec perimat nomina longa dies:
 Imperat & vinum regis de nomine dici:
 Vuæque de Staphylinomine dicta foret.
 Ex illo terris sunt reddita vina: suusq;
 Partus honos mensis: vos siluistis aquæ.

FINIS.

HIERONYMUS CARDO
sus Georgio Ferdinando utriusque
iuris Doctori, Regioq; Senatori
S. P. D.



ENSITANTI mihi a-
liquandiu, Doctor eminen-
tissime, altiusq; in animo
volutati, quem nam ex tam
multis potissimum mihi deli-
gendum proponerem, cuius
patrocinio, ac integræ fidei
orationem, quam sub te Rectore meritissimo
Calendis Octobribus Olisipponensi Acade-
mia pro rostris habui, committerem: tu quidē
vnus occurristi. Cuius spectata integritas, pro-
bati mores, vitæ sanctimonia tanta omnium
cum admiratione celebrātur, vt eadem de te,
aut etiam maior inter Lusitanos vagetur opi-
nio, quæ olim inter Græcos de Homericō Ne-
store, vel de Solone Salaminiō (tantorum vi-
rorum pace dixerim) inter Athenienses vaga-
ta sit. Accedit huc etiam illa non satis lauda-
ta alacritas, quam ad suscipienda negotia, ta-
met si ardua, semper præ te tulisti. Quid enim

memorem multarum disciplinarum peritiã,
præsertim ciuilib, & pontificij iuris: In quo ita
excellis, vt vni Sceuolæ, vel Papiniano pro-
pter mille annos (vt Satyricus inquit) alijs ve-
rò non itidem concesseris. Quoq; magis admi-
ratio tui crescat, ita modeste, ita summissè te
geris, vt neque in verbis, quoties familiariter
cum amicis confabularis, neque in scriptis,
cum aliquid de iure scribis, aut literas, siue se-
rias, siue familiares mittas, vllum insolentiæ
vestigium quisquam deprehenderit. Verum-
tamen cum aliquanto altius cõsiliij mei ratio-
nem mecũ ipse inirem, ne id exequerer, quod
antea institueram, multa me dehortabantur,
& quasi à faciendo deterrebant. Primũ enim
admonebar te lōge occupatissimum: quem si
à publicis negotijs obeundis, causisq; altissi-
ma cura diiudicandis molestus abducerem,
in publica (vt inquit ille) cõmoda peccarem,
ac præter officium fecisse iudicaret. Deinde ve-
rò verebar, ne si tibi homini alioqui seuerissi-
mo, & grauioribus studijs vacãti, nugas hæc
meas obtulisses, temeritatis notam subirem,
quando tuæ & grauitatis & dignitatis oblitus
t. in pusillote munere prouocare non vereor.
Cæterum humanitate tua fretus formidinem

omnem, qua implicabar, omnino deponendam
censui: illud videlicet reputans, nullum tam
euidens pusilli animi indicium videri, quam
statim scintillæ timoris cuiuspiam erumpen-
ti non occurrere. Ideoq; nostra ad te, tanquam
ad numen aliquod, & asylū inuiolabile oratio
cursitat, tantisper sanè meticulosa, dum se le-
nissima fauoris tui aura afflari sentiat. Quam
si (vt ipse confido & opto) in primis exorabit,
ad summum votorum meorum peruenisse me
putabo: ac insuper inuidiæ aculeos nequaquam
pertimescendos, te suffragatore, existimabo.
Quis enim tam parum metis cōpos, qui quod
tu ipse semel probaris, vel refellere, vel vitupe-
rare audeat? Quare, vir clarissime, me totum,
causamq; meam benigne (vt soles) suscipe. Pa-
trocinium tuum ac suffragium, à quo maxime
nostra res pendet, mihi ne denegaueris. For-
tasse enim (vt opinor) vigilia nostra non om-
nino, qualescūque sint, tibi displicebunt. Præ-
terea liberis tuis, quos Deus Opt. Max. tecum
incolumes diu faciat, spectatam indolem iam
nunc de se concitantibus non ingrata hæc ob-
tigerint munuscula. Qui cum primum ad cæ-
tatis maturitatem peruenerint, moresq; pa-
ternos apertius expresserint, vt sacris literarū

initiari necesse sit, huic oratiunculae nostrae
non multum à communi dicendi vsu ab-
horrenti, quasi curriculo cuidam innixi
reptare primum incipient. Vale, &
me, quem olim pro concione di-
centem magnopere lauda-
sti, nunc impensius
tuere ac pro-
tege.

Oratio pro Ro-

stris, habita Calendis Octobribus Olisip-
ponensi Academia, de laudibus om-
nium disciplinarum. Anno
tricesimo sexto, su-
pra sexquimil-
lesimum.

QU^{ER}EREM, incorruptissime Re-
ctor, ornatissime patres, florentissima
concio, cuperem inquam eiusmodi mi-
hi apud vos habenda orationis facul-
tatem accommodari, quæ dicenti mihi ornamentū,
laudēque aliquā quantulācunque peperisset: vobis
verò audientibus & letitiā & voluptatem nō me-
diocrem conciliaret: alacres verò, & benevolos ad au-
diendū non minus redderet, quā Rhodios olim
Aeschines clariss. orator reddidisse fertur, cū De-
mosthenis orationem pro Cresiphonte cunctis admi-
rantibus pronuntiaret. Nam quoties cogitatione &
animo complector, quā excelsum in locum, & ad

dicendam accommodatū temerè & inconsultò descenderim, & quàm difficilem prouinciam, sarcinamq; meis humeris imparè suscepèrim: quàm cōplures ante me Viri, & ingenij dexteritate præstabiles, & multiplici doctrina, variaq; lectione locupletati suscipere dubitarunt: in maximam (fatèor) desperationem redigor, terroremq; mihi vitam vanum ex aliorum formidine confingo: ac ex alieno periculo mihi ipse timeam, necesse est. Quippe qui intelligam, & tenuitatis meæ non ignarus facile profitear eum, qui apud vos orationem fuerit habiturus, torrentiore dicendi copia, acriore ingenio, eruditione denique non triuiali cæteris antecellere oportere. Quæ cum à me longè aliena esse videam: nihil mirum, si hesitabundus, ac propè implicatus tenear, & tantæ rei magnitudine ac mole depressus, ac penè obrutus vehementer extimescam. Verùm vestradium multumque perspecta facilitas, & multis iam pridem argumentis cognita eo vsque mihi suffragata est, ut me ipsum propè titubantem ac diffidentem à tenacissimis timoris vinculis eximeret, & acerrimū etiā calcar, ut stadium hoc alacrius per-

eurram, adderet. Existimaui enim nec me profe-
 cto ut opinor existimatio hæc frustrabitur) si quid
 inelaboratum, minusue pensitatum quicquam effu-
 tirè, vos non modò non ægrè laturos, sed etiam boni
 consulturos: eò magis quòd inexercitatus adhuc &
 inexpertus hac in arena nunc denuò di gladiari ten-
 tauerim, satiùsque esse duxerim ad summa niti,
 quàm præsumpta desperatione circa montis radices
 subsistere. Proinde ne de vestra erga me humanita-
 te spem falsam concepisse videar, vires & animum
 suggerite, & æquis auribus, si quid quod parum ar-
 rideat dixerò, accipite. Siquidem hac lege me hic vo-
 bistan dem exhibeo, Seuerissimi Patres, vestram
 subituro censuram, humanitate tamè potius quàm
 iudicio de me vestro inuitatus. Quem vos tametsi
 immerentem, & paucis admodum eloquentiæ viri-
 bus admixtum, & nulla propè literatura præditum
 deligendum curastis: deinde huic tantæ reitam ad-
 modum seriæ & arduæ destinare, & præficere nõ
 indignum iudicastis: non ut histrionicã scenicãque
 artem, cæteraque id genus ludicra theatri digna
 spectaculo ludibundus agerem. Sed ut Palladiæ hu-

ius ædis candidatas fores serasque diu sculè feriatas,
 nō vi ferri, manuūq; artificio, cuiusmodi vetustiss.
 Iam illius templū referari cōsuevit, si quādo atrocis-
 simum bellum ingrueret: verū candido phaleratæ
 orationis apparatu, compositissimōque verborum
 ornatu patefacerem: deinde vt optima ac inclytali-
 liberalium artium studia, quibus supersedere hactē-
 nus maiores gymnasiarchæ assidue studiorum de-
 fatigationi, & æstiu temporis iniuriæ consulentes
 non inscitè me hercule statuere, fœliciter auspica-
 rer: postremò vt florentē ac studiosam iuuentutē
 diligenter cōmonefacerē: in summa dicā, vt igna-
 uis: imū quemque laboris que fugitātissimū ab igna-
 uia & desidia, reliquisque malis artibus cū primis
 adolescentiū animos infestātibus deterrerē. Agite
 ergo, quādo de literis ipsis disceptaturi venimus, ac
 cingamur: ac disciplinarū omnīū, quarū fœlicet sa-
 craria colimus, ipsa velut incunabula aperiamus:
 & qui mortales primū in illis excolendis, & ea-
 rū imperium propagando flagranti studio operaque
 elaborarunt, differamus: circumcise tamen, ne tale
 quiddam fortē eueniat, quod Samiorum legati eue

nisse Plutarchus scribit: quibus longa vsis oratione Spartiat & responderunt, se priora oblitos fuisse, nec posteriora percepisse: quoniam priora memoria exciderant. Primum itaque omnium illud mihi neutiquam silentio prætereundum arbitror, quod instituto propositoque sermone aptè coherere ac conducere in primis videtur: varios fuisse, qui præclarum, & penè admirabile literarum munus inuenere. Apud Aegyptios Anubis, & Memnon primi literas excogitarunt: cū ante illarū inventionē per animalium figuras duntaxat sensum mentis effingere consueissent. Assyriarum verò Rhadamanthus, Phrygiarum Hercules Aegyptius primi conditores fuere. Græcas verò literas, quarum postea numerum Troiani bellitempore Palamedes, deinde Symonides auxerunt, sese primos indagasse, ac reperisse Phœnices gloriātur. Quos caprinis ouinisque pellibus, quoties scyrporum penuria cogeret, scriptitasse accepimus: quas prisca eorum consuetudine biblos appellari, libro quinto scribit Herodotus. Eas postea literas à Phœnicibus Cadmus Agenoris filius (ut fabulata est antiqui-

tas) cum à patria exularet, in Græciam non sine incredibili omnium admiratione transtulit. Latinas verò literas, alij Berosum, & Tricodemum, alij Carmentam Arcadiam Euandri profugi matrem inuestigasse memorant. Quam, autore Liuiio, ut fati loquam ob miraculum literarum rei nouæ inter rudes & imperitos artium homines ante aduentū Sibyllæ in Italiam gentes ex omnibus Italia locis confluentes admiratæ sunt: eiq; diuinos honores decreuere. Hinc ergo Grammaticen, quam Græcè nominamus, quòd literis constet, quas illi γράμματις appellant, Latine verò rem literariam dicimus, prima habuisse initia, paulatimq; cœpisse coalescere creditum est. Quis enim rem tam veterem, & tam multis seculis adumbratam pro certo audeat assuerare? Verumtamen tam insignis ac propè diuini muneris autori (quisquis ille sit) perpetuam ab omni posteritate memoriam deberi, quis dubitauerit? Cuius exactissima prudentia, exquisitissima industria effectum est, ut vniuersum mortalium genus prius incultum ac rude, passimq; belumo more degens diuinis, humanisque rebus inuestigandis inuenien-

disque vacaret: insolitam, & inuisam antè lucè depo-
 sita omni feritate, remotàque mentis caligine tandè
 intueretur. Nam quis adeò cæcutiens, a grestiq; na-
 tus ingenio, vt Grāmatices facultatem ex qua cæte-
 ræ disciplinæ, tanquam ex magnete ferrū, pendent,
 & quasi quadam firmiſſima base fulciuntur, lon-
 gè cōmodiſſimam eſſe diffitatur? Hæc populos lon-
 gè lateq; sepositos omnibus artibus, quas nos liberales
 nuncupamus, instituit: hæc viam alioqui aditu diffici-
 lem ad omnes disciplinas capeſſendas muniiuit. Hæc
 denique præstitit, vt insolentiſſimi barbari, qui ex-
 tēſis & erectis olim vexillis exultantestotū serè ter-
 rarum orbem oppreſſerant, penitus proſtigarentur:
 & corū nomen nempe absurdiſſimum funditus de-
 leretur. Non aliunde quam ex hoc vberimo fonte
 mellitiſſima illa poetica tota planè diuina primūm
 erupit: quæ ſuauiſſimis inſignium poetarum, vt Ho-
 meri, vt Maronis ſigmētis adiuta ac propagata ad-
 mirabilem dulcedinem effundit: quodq; omnium ma-
 ximum eſt, ſollicitudines, angores, vniuerſasque ani-
 mi moleſtias depellit propulſatq;. Ad hæc audientiū
 animos marceſcentes, & ab omni prorsus iucundita

te alienos mira quadam suauitate titillat, ac in super
 aures quantum uis obtusas & constipatas perinde de-
 mulcet illectatq; , ut non magis Vlysses ab incendio
 Troiæ redeuntē, cū Siciliā præternavigaret, (ut est
 in fabulis) Syrenū cantus illexerit. Vnde fit, ut Or-
 pheū, & Amphionē rupes, & scopulos, leones, ac ty-
 gres cantu & carmine demulsi sse finxerit antiqui-
 tas. Nec id immeritò fictū: quoniā hi palantes olim
 hoīes et humane rationis expertes, et ī agris ritu fe-
 rino vitā propagātes carminis dulcore captos et stu-
 pidos in populū, atq; ī vrbiū domicilia redegerūt:
 postea verò moribus, et legibus institutos, ut mutua
 inter sese societate uterētur, coegere. Quā rē Ho-
 ratius elegāter et peruenustè his carminibus docet.
 Syluestres homines sacer, interpretisque deorum
 Cædibus, & victu fædo deterruit Orpheus,
 Dictus ob hoc lenire tygres, rapidosq; leones.
 Dictus & Amphion Thebæ conditor arcis,
 Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
 Ducere quò vellet.

Quid quòd Tyrtæus ab Atheniē sibus ludibrij &
 ridiculi gratia ad Spartanos missus, multa eadēq;

admirabilia carminis maiestate promouisse fer-
 tur? Qui cum cōposita à se carmina Lacedæmonio-
 rū exercitui pro concione recitaret, quibus virtutis
 hortamēta, damnorū solatia, belli cōsilia conscripse-
 rat, tantū militibus ardorē incussit, tantamq; vim
 furorēq; arcanū eorū mētibus immisit infuditq;,
 vt rursus aduersus Missenios bellū de integro re-
 nouare coegerit. Eos præterea mira carminis acri-
 monia inflāmatos non tã de salute (morti enim sese
 deuouerāt) quàm de sepulturis sollicitos reddiderit.
 Grāmatices prætereà beneficio ad summū Rhetori-
 ces fastigiū pleno gradu cōtenditur, quæ cūctis ciui-
 tatibus, ducibus, ac regibus domi, militiaeq; quantū
 emolumentum attulerit, ex veteribus exemplaribus
 deprehenditur. Constat autem eloquentiam suauis-
 simam, & penè melleam esse. Quæ tantum sibi
 iuris in omnes vendicauit, vt repugnantes quoque
 ducat & impellat, attonitosq; in sui rapiat admira-
 tionē. Ea autē peculiare habet, perniciosas ciuium
 seditiones componere, turbas strepitūsq; popula-
 res, bella etiam inexpugnabilia non minus tempera-
 re, quàm Isthmos poetarū carminibus inclutus,

qui inter Ionium, & Aegaeum, ne concurrentia inter se maria creberrima undarum decertatione, ac infatigabili motu confundantur, à natura quasi de industria positum esse videtur. Nisi forte falsum fuisse credimus, quod Pyrrhus Epirotarum rex dicere consuevit, plures se vrbes Cynae legati sui oratione ac eloquentia, quàm armis expugnasse. Plus enim facundia, quàm ferrum conficit. Et quamuis Rhetoricestela in utramque partem valeant detorqueri, quia nō solum ad sedandos populitumultus, verum etiam ad ciuiles priuatásque dissensiones concitandas rectè possunt accommodari. non ideo tamen malum quidpiam & noxium censeretur, quo si uoles, bene uti licet. Nec enim leges, quæ nemini iniuriã inferunt, imò æquitatis & iustitiæ magistræ iudicantur: propterea iniquas & iniustas existimari oportet, quòd illis abutantur homines. Profuerit autè aliquando eloquentia necne, vel his, quæ subnectam, exemplis apparebit. Nam de formissimã Pyrrhi pacem, ac maximè de decorosam cum Romanis initam cæcus ille & senex Appius ad ciuitatis portas delatus fretus dicendi viribus dissuasisse fertur. Nec

inficias ibimus sceleratissimi omnium Catilinae, qui aduersus patriam conspirauerat, immanem audaciam torrenti Marci Ciceronis eloquentia repressam perfractamque fuisse. Nonne perterritos & exanimatos militum animos, ac in turpissimam fugam conuersos plerumque reuocat, & à formidine aasserit facunda imperatoris oratio? & tam multa pugnandi discrimina subeuntibus laudem vita potiore esse persuadet? Ceterum multum diuque cogitantem res ipsa me in hanc potissimum sententiam deducit, ut existimem primos Urbium conditores non aliter impetraturos fuisse, ut dispersa ac vaga illa multitudo in populum, ac in conuentus publicos coiret, nisi suauissima eloquentium virorum voce excitaretur. Nec equidem legum repertores alio pacto affecuturos crederem, ut statim se ipsi homines liberi prorsus & immunes ad acerbissimam iuris seruitutem, & ad legum frena toleranda obstringerent, nisi summa facundiae vi allicerentur. Vnde Cicero in eolibro, quem de Oratore scripsit, nihil praestabilius videri oratione confirmat, quae tenere hominum coetus possit, mentes allicere, voluntates impellere quod velit, vnde autem ve

§ DE DISC. OMNIUM

lit deducere. Denique ne multis morer, quid eloquentia admirabilius, pulchriusve? Quid homini melius, conducibiliusve, aut homine quovis dignius? Cuius studiū si quis vituperet, haud sanè intelligo, quid sit quod laudandū iure existimet. Cum praesertim appareat, florentissimas vrbes, firmissima fœdera, sanctissimas amicitias societate diu permansuras, sola eloquentiæ maiestate, & blanda persuasione fuisse cōparatas, ac quodā quasi adamantino vinculo colligatas. Ex hac ergo disciplina Grāmatices, quæ Rhetoricen, & Poeticen cōplectitur, vberimos & opulentissimos fructus demetimus. Cuius quidē propria & peculiaris est poetarū pertractatio (vt Ciceroni placet) historiarū cognitio, verborū interpretatio pronuntiā diquidā sonus. Atque per eam ad sublimiores, & longè beatiores disciplinas vnicus pateat aditus. Quominus audiendi sunt scioli quidā, & vt ita dicam, grammatica stri polyposi, quibus vrticis, quàm amaracos olfacere suavius est, nec siligineum panem à furfureo sciunt internoscere. Qui hanc artem, vt tenuem & ieiunam (vt cum Fabio dicam) cauillantur, & tanquam aridam & minus

frugiferam fastidiunt. Cum multò ipsi quidem (ut rem ipsam dicā) & ieiuniores & aridiores habeantur, vitiumq; genuinū, quo ipsi iā inde ab adolescentia laborant, in eā refundant. Quo magis vos magnopere hortor ac obtestor, cā didicisti huius Academiae moderatores, ne patiamini hanc egregiā disciplinā, quæ vos à paruis eduxit, ac ad maiora usque prouexit, per incuriam & ignauiam tabescere. Istorum imperitorum tā inania ac futilia deblatterantium inscitiam refellite: enitimini, ut humanitatis studia ab his nasutis hominibus neglecta industria ac opera vestra efflorescant. Quod si ita à vobis fiet, quū rē literariā nō sine maxima laude demerebimini, tū patriæ, qua nihil charius esse debet, nō officiū tantum, sed etiā pietatē præstiteritis. Vestrū postremò nomen (quid enim optabilius) posteritati cōsecrabit. Hactenus de Grāmatica. Nunc ad Dialecticā cōuerto: cui diuinus ille Plato Academiae institutor primus Dialecticæ nomē indidit. Sed postea Aristoteles in formā redegit. Est enim hæc disciplina ad verifalsiq; cognitionem in primis accommodata. Quæ rectè differendo, probando, re-

fellendo ad veritatē eliciendā plurimum conducit:
 citra cuius adminiculum ad veritatis inuestigationē
 frustra nitimur. Facit enim syllogismum & demō-
 strationē, & argutulis captionibus ac laqueis quibus-
 dam insidiosis vafre intensis verum ob oculos propo-
 nit, planissimumq; iter veribus ac dumis liberū ad
 omnia scientiarum sacraria patefacit. Claruisse in
 Dialectica traduntur Leontinus Gorgias, Diogenes
 Cynicorum princeps, Carneades, & tota Stoicorum
 familia. Nec Chrysippum dialecticorum archety-
 pum silentio dissimulauerim. Qui tanto præter cæ-
 teros ingenij acumine ad extricandas Dialecticæ am-
 bages claruit, ut Athenienses assererent, aut nullā,
 aut Chrysippeā Dialecticam inueniri. Epicurus au-
 tem dicitur in varios errores cecidisse, quod Dialecti-
 cam negligere fuerit ausus. Vnde Stoicos sic solitos
 dicere accipio, neminem Dialectices ignarum futu-
 rum sapientem. Nec ab his dissidet Aristoteles, cum
 dicat priscos illos philosophos, Melissum, Parmeni-
 dem, Anaxagoram, ac alios cōplures sola Dialecti-
 ces ignoratione grauitè à cælo errauisse, ac in his,
 quæ scripserunt, non mediocriter delirasse. Plato ve

rò in septimo de Republica ita proditum reliquit, Dia-
 lectices disciplinam & perutilem, & valde necessa-
 riam esse. Cui tantum tribuit, ut inter reliquas dis-
 ciplinas primarium sibi locum arripuisse censeat, mo-
 nens erudiendos esse in ea quam primum adolescen-
 tes, ut respondere, ac interrogare quam rectissime co-
 gnoscant. Sed diu boni quantum nostrates à veteribus
 dialecticis degenerant. Illi autem non aliter ad Dia-
 lecticam & reliquas disciplinas attingendas anhela-
 bant, quam in rhetoricis & poetica quã exercitati si-
 mi euaderent. Nostrum verò proh dolor, qui ne musas
 quidem à vestibulo salutarunt, tantilla Grammati-
 ces semiuncia iactabundi, quam supremis labris degu-
 starunt, statim sibi facillimum aditum ad omnes fa-
 cultates patere arbitrantur: nullaq; re magis sese Dia-
 lecticæ sectatores mentiuntur, quam si obstrepero &
 tumultuario sermone, & rancida quadam vocifera-
 tione, Stentore Homericò vocaliores, theorematanu-
 galia, & pueriles isagogarum commentationes rabi-
 ose deblatterent: obiectaq; ob oculos audientium verbo-
 rum & argutarum fuligine quingentas mendacis
 onustus tertio quoq; verbo quadrigas effutiant. Sed

DE DISC. OMNIUM

*hæc alias, ne videar alienas partes assumere. Nunc
 me mathematicæ disciplinæ expectât, in primis Geo-
 metria, de qua non nihil differere tæpestiuum videtur.
 Est aut Geometria, quæ lineamenta, formas, inter-
 ualla, magnitudinesq; vniuersarum figurarum expli-
 cat. In qua collocatur perspectiua, quæ non absolutè,
 sed vsu lineas considerat, et lineas cunctas et superfici-
 es seu plana corpora oïno à materia se sibili separata
 distinguit. Inuētã fuisse Geometriã memoriæ pro-
 ditum est, quo tæpore Nilus plus æquo a gros inundã s
 terminos cõfundeat. Ad quos innouandos adhibiti
 sunt philosophi Geometriæ peritissimi, qui lineis ac
 mēsuris ex æquo impositis a gros rursus diuideret,
 pristinisq; dominis adiudicarēt, quos ob nimias flu-
 minis alluiones amiserãt. Inde Geometria nomen
 sortita est, caputq; deinde extulit: quãuis non solum
 terræ sed et maris, ac cæli spatia metiatur. Eã post-
 ea Pythagoras in formã rede gisse fertur: licet Mæ-
 rim Aegyptiorum regē prius in Geometria fũdame-
 ta iecisse nonnulli opinentur. Clari in ea fuere Pytha-
 goras, Archimedes Syracusius, Anaximander
 Milesius, Euclides Megarēsis: cuius nũc etiã scri-
 ptæ extãt. Plato Geometriã ad Veri cognitionẽ ne*

cessariã in primis esse palã ostēdit. Nã que animos acuit, ingenia: & celeritatē percipiēdi venire inde quidã arbitrãtur. Sed nec Arithmeticã oĩno prætereamus. Cui nō minus et honoris et dignitatis ac reliquis debetur. Hæc autē disciplinarationes, effectus affinitatesq; numerorū docet: in qua collocari Musicã manifestè apparet. Nã vbi arithmeticus numeros absolutè cōsiderat, atq; seiũctos ab oĩ materia sensibili disponit, musicus vim ac potestatiē sonorū sibi subycit, effectusq; eorū cōsiderat: sub qua etiã & is, qui cãtu demulcet aures, situs est. Arithmeticã autē in artē disciplinã. .j. redēgisse Pythagoras primus dicitur: et hæcet superiorē puras mathematicas esse, quinto Physicorū docet Arist. reliquas verò duas nō puras. Plato has tanquã gradus dixit ad superiora. Ceterū quaternariū numerū Pythagoræ discipuli quinquēnale silētiū agerē soliti, qui totã ferè Italiã occuparūt, ceteris numeris perfectiorē esse crediderūt. Quē maximū illis fuisse iusiurãdū Plutarc. scribit. Sed Peripatetici, quorū præcepsextitit Arist. ternariū numerū reliquis ãreposuere. Siquidē iparitatē dvis immortalibus gratorē esse vcl eo argumēto deprehenditur, quòd

co DE DISC. OMNIUM

in sacrificijs impari numero hostiæ mactarentur. Suffragatur huic sententiæ quod est apud poetam, Numero Deus impari gaudet. Et alibi, Septem mactare iuencos præstiterit. Quanti autem faciendæ sit Arithmetica, apertissimè apud Platonem docet Socrates, Animaduertisti, inquit, eos, qui à natura arithmetici sint, ad omnes disciplinas acutiores apparere. Qui autem ingenio hebetiore fuerint, etiamsi nihil uilitatis amplius assequantur, si mea erudiri contigerit, se ipsi tamen solertiores efficiunt. Nam qui difficiliorem adipiscendi cogitandiq; laborem impenderit, non facillè ex omnibus aliam disciplinam ad id efficiendum præter hæc poterit inuenire. Ob hæc omnia profecto Arithmetica omittenda non erit. Verùm optimis præditi ingenijs erudiendi in ea quàm primùm videbuntur. Nunc ad Musicen humanas aures demulcentem nostra festinat oratio. Quam à natura ipsa velut munus maximum ad tolerandos facilius labores elargitam fuisse nemo dubitauerit. Hæc, autore Fabio, ex fabrorum malleis Samius ille Pythagoras deprehendisse creditur, ingenio (ut opinor) cælesti, & admiranda quadam animi

perspicacitate industriaq; humana ampliore permotus. Qui recepta à veteribus opinionem in vulgus disseminare ausus est, mundum ipsum musica ratione fuisse fabricatum. Alij ab Amphione Thebanorum rege exordium sumpsisse contendunt. Ceterum Orpheus septem chordarum lyram primus excogitavit. Cuius concentu suavisimo, & inusitata dulcedine non feras modo, sed saxa etiam ad se audiendum alliciebat: manesque a tartara, ipsum denique umbrarum regem, cum reuocanda uxoris causa inferos adisset (ut poeta fabulantur) ad lachrymas & misericordiam provocavit. Tibiam autem (quae Graece μουσικὸν λέξ dicitur) Pan deus pastorum à veteribus creditus primus reperit. Duabus autem tibijs canere, & sonos adiungere Phrygius Marsyas poetarum carminibus inclitus primus edocuit. Qui ab Apolline excoriatus fuisse traditur, quod illum ad cantilenae certamen insolenter, & nimis contumeliose provocare sit ausus. Haec autem disciplina in pretio sit habenda necne, magno posterorum documento fuerit Socrates. Qui, quanquam philosophiae praeceptis, quibus plerumque aetatis operam nauauerat, deditissimus

fuiſſet, in ſenectute tamen plurimum ſeſe hac arte
 oblectabat, ac maximè recreabat: adeò ut Phædrū
 diſcipulum admirandæ pulchritudinis puerum,
 & philoſophiam & Muſicam pariter docere non
 erubeſceret. Plato viro alioqui ingenuo & civili
 neceſſariâ Muſicem eſſe credidit. Nec prætermi-
 tam duces maximos, & fidibus, & tibys canere ſo-
 litos. Vt Achillem Homericocarminenotiſſimū,
 & Epaminondam Thebanorum ducem, qui præter
 ceteras animi dotes, & egregias diſciplinās, quibus
 excelluit, Muſicæ artis ſeſe calentiſſimū eſſe præ-
 dicauit. Lycurgus autem Lacedæmoniorū rex, &
 idem ſeueriſſimarū legum conditor Muſicem pro-
 bavit. Themistochem indoctiorē fuiſſe iudicatum
 tradit Cicero, cum muſicæ artis imperitiū ſe eſſe fa-
 teretur. Itaque & multorū teſtimonio aperte col-
 ligi poteſt, hanc à veteribus diſciplinam tantifuiſ-
 ſehabitam, ut eam ludis, conuiujsq; regalibus, pom-
 pijsq; funebribus quàm frequentiſſimè vterentur: &
 qui neſciebat, parum excultus doctrina putabatur.
 Nec id mirum, quum ſi ſingula diſcuſſeris, nullū
 profecto nec maius, nec gratius oblectamentū ex

re quapiã, quàm ex hac disciplina mortales aucu-
 pari inuenies, cum harmoniã cœlestis, qua nihil dul-
 cius excogitari potest, admoneatur. Quã propter
 intercapedinẽ, & sensuũ nostrorũ imbecillitatem
 nec audire, nec perpendere vel tantillũ quidẽ possu-
 mus. Claruere in hac disciplina cõplures: Orpheus
 Thrax genere, Linus, Terpander, Thamyras, Phe-
 mius, & Ariõ Methymnæus, qui tãto cõcõtulyræ
 valuit, vt delphini dorsoper mare inuectus nauta-
 rũ insidias (vt autor est Herodotus) effugerit. At
 Astrologiã cœli astrorũq; indicem, quæ circa nu-
 meros, & cœlestium corporum magnitudinem sy-
 derũq; rationem, signorumq; ortus, obitus, motus,
 totius cœli conuersionem versatur: quis plenẽ & co-
 piosẽ laudauerit, quin in medio conatu succumbat,
 omniq; dicendi libertate destituatur, & quasi te-
 merarius Icarus in mare decidat? Nam ad Aristo-
 phanis, Cleantisue lucernam lucubrasse oportebit.
 Quid de tam sublimi, ac cœlesti disciplina verba
 facere non subterfugerit? Quam quidem non
 tam admiror, quauis sit omni admiratione di-
 gnissima, quàm illius repertores cõsummatissimos

ac ab omni animi labe & inuidia alienos. Qui ne
 forensi strepitu impediti, nec re militari obnoxii, ne
 vlla ambitione, aut inani gloria, habendiue cupiditate
 agitati, caelestes vias & mortalibus inaccessas in-
 dagauerunt, & alyspostea percipiendas tradiderunt.
 Quos a summa vitiorum, & lasciuiae continentia
 & sobrietate commendandos merito iudicauerim.
 Quando iudem caelum dimensi sunt, & mortalibus
 tantae rei ignaris aperuere. De quorum laudibus Ouidius
 sic cecegit,

Falices animae, quibus haec cognoscere primum,
 Inq; domos superas scandere cura fuit.
 Credibile est illos pariter viti sq; iocisque
 Altius humanis exeruisse caput.
 Non Venus, & vinum sublimia pectora fregit,
 Officiumq; fori, militiaeq; labor.
 Nec leuis ambitio, perfusaq; gloria fuco,
 Magnarumq; fames sollicitauit opum.
 Ad mouere oculis distantia sidera nostris,
 Aetheraq; ingenio supposuere suo.
 Sic petitur caelum, non ut ferat Ossan Olympus,
 Summaq; Peliacus sidera tangat apex.

Sed videtur hic locus exigere, ut de Astrologia primis incunabulis cursim differamus, ne rem tam illocis (quod aiunt) manibus pertractare videamur. Cælum primi, ut ego accepi, observare cæpere Assyrii, propter regionis (ut suspicor) latitudinem, ex qua uniuersa cæli penetralia ac angulos longè lateq; sepositos speculari licebat. Deinde verò Chaldæi, & Aegyptij idem sibi factitandum proposuere. Ab Aegyptijs autem, ut Eustachius tradit, Astrologiâ mercatorum, & nautarum cõmercio frequentique consuetudine Sidonij, & Phœnices mutuati sunt: & ab his, ut alij referunt, in Græciam penetrasse constat. Signiferi circuli obliquitatẽ, si Plinio ad stipulamur, primus intellexisse, hoc est rerũ fores aperuisse Anaximander Milesius traditur, Olympiade quingentesima octaua. Signa deinde in eo posita Cleostratus, & primam Arietis, ac Sagittarij stellam multo antè Atlas intellexit. Veneris stellæ naturã Pythagoras Samius primus apprehendisse traditur. Lunæ verò defectus Endymion: qui fabulæ ansam præbuit, à luna fuisse admatum, eamq; eius deosculandi gratia è cælo dela-

psam. Solis verò defectus & eclipsin Romanorum primus Gallus Sulpitius in vulgus extulit. Qui bello Macedonico tribunus militum exercitum magna animi molestia & sollicitudine liberauit. Pri die 1; quã cū rege Persarū pugnaretur, productus à Paulo Aemilio consule in concionem ad prædicendam eclipsin, naturalem esse palam indicauit: ne velut prodigio diuinitus factò militum animi terrerentur: & volumine postea edito huius defectus rationem explicauit. Apud Græcos Thales Milesius lunæ solisque defectus inuestigauit. Qui Lacedæmonijs cum maxima omnium admiratione horologium primus indicauit. Post eum Hipparchus, qui etiam stellis nomina indidit. Pericles etiã Athenienses solis obscuratione territos, redditus eius rei causis metuliberauit. Anaxagoras primus autore Plutarcho in vita Nisiæ rationem huius defectus literarum monumentis tradere ausus est. Sed primus Plato in lucem edidit, quod alij minime fecerant, veriti imperitæ multitudinis captiones & aculeos. Plato verò tum vitæ integritate, tum morum sanctimonia frctus id facere aggress-

sus est. Hipparchus autem menses, diesq; & ho-
 ras, ac situs locorum, ac vicos populorum complexus
 est. Deinde verò omnibus aperuisse ferunt. Cete-
 rum Aristæus solstitij rationem excogitasse cre-
 ditur. Pythagoras etiam syderum intervalla di-
 mensus fuisse dicitur. Illud etiam haudquaquam
 omittendum esse duco, quod non ab re fictum, nec
 ratione omnino carere existimauerim. Nam pri-
 mus Atlas sua indagazione cælum mortalibus ape-
 ruit. Et cum syderum peritia polleret, eminen-
 tissimùmque in Astrologia locum obtinisset,
 creditum est à posteris, illum manibus sydera tra-
 ctasse. Quod verò de Prometheo poetæ commen-
 ti sunt, non erit ab instituto alienum, nec à pro-
 posita materia abhorrens recensere. Hunc si-
 quidem iactat antiquitas Caucaſo monti religa-
 tum, a quila pectus perfodiente, quòd ignem olim
 è cælo surripuerit. Quid aliud hoc quaeso vide-
 tur præ se ferre, quàm elementum igneum sum-
 mo labore, maximâque animi anxietate primùm
 à Prometheo fuisse intellectum? Eudoxus Cni-
 dius Aeschinis filius Astrologiam permultis

philosophorum condimentis decoravit: eandemq; in
 carmine redegit Aratus Cilix, ac Empedocles Agri-
 gentinus. Berofus etiam multifariam hanc disci-
 plinam amplificasse creditur. Cui ob diuinas prædi-
 ctiones syderalisq; scientiæ cognitionem Athenien-
 ses publicè in gymnasio statuam inaurata lingua
 erexere. Hactenus de Astrologia. Nunc ad Phi-
 losophiam noster sese inclinat cursus: quæ in Physi-
 cen, & Ethicen dispartita est. Sed res postulare vi-
 detur, ut de Physice prius disseramus. Atq; uti-
 nam is esset meæ mentis captus, ut de tam sublimi
 & egregia disciplina satis pro dignitate verba fa-
 cerem. Sed vehementer pertimesco, ne medio in cur-
 su vitis destitutus parum commoda utar nauiga-
 tione. Conabor tamè reitantiæ molem vastitatemq;
 aggredi. Nam de Philosophiæ laudibus dicere quis
 abundè poterit, nisi qui diuturna exercitatione in
 eius studio fuerit versatus? Igitur Philosophiam à
 barbaris & exteris gentibus originem suam repe-
 tere nonnulli suspicantur. Id quod argumentis ra-
 tionibusq; probabilibus comprobant. Siquidè apud
 Persas magos natura rerum, & astrorum peritissimè

mos floruisse in confesso est, qui cæteris & sapientia & auctoritate antecellebant. Apud Babylonios, & Assyrios Chaldæi principatum in documentis Philosophiæ tenuere. Apud Indos Gymnosophistas longè excelluisse constat. Qui virtutem in primis sectabantur, & religioni impense operam dabant, futuros ꝑ rerum euentus numine aliquo (vt opinor) afflati, multo antè quàm euenirent, prædicebant. Inter Gallos Dr yudæ plurimum fidei & auctoritatis consecuti sunt. Qui vrbanos strepitus pertæsi, & ab omni procul hominum consuetudine semoti, abdita nemora ac secretiores sylvas incolebant: vbi sacris faciendis tantummodo vacabant. ideo semitheï (vt tradit Aristoteles) cognominati sunt. Ad quos etiam de humani, & diuini iuris ratione consulturi confluxebant. Rursus apud Thraces Orpheus, & Zamolsis vetustissimi scriptores claruere. In Africa etiam Atlas poetarum carminibus inclytus præcelluit. Quem & insignem philosophum, & eximium Astrologum fuisse supra docuimus. At in Aegypto Vulcanus Nili filius studio Philosophiæ, de qua multa scripsit, non posteriores tulit. Itaque

ex his facile colligi potest, hanc disciplinam non ali-
 unde, quàm à barbaris emanasse. Alij verò à Græ-
 cis oriundam contendunt. Verùm ij minus sagit-
 tam in scopo fixere. Græcos enim à barbaris Phi-
 losophiam mutuatos fuisse, eamque eruditione &
 eloquentia, qua ceteros antebant, propagasse, ne-
 mo licet semidoctus inficiatur. Musæus autem
 Atheniensis, & Iamus Mercurij & Urania fi-
 lius apud Græcos Philosophiæ inueniendæ auto-
 res fuisse. Quorum alter hoc est musæus Theogo-
 niam scripsit, spheramque primus excogitavit.
 Alter verò de mundi generatione, de natura re-
 rum pariter, de animalibus & fructibus pluscula
 edidit volumina. Hos tanquam vexillarios ac du-
 ces septem Græciæ sapientes longè omnium do-
 ctissimi ac sanctissimi, quorum primus Thales Mi-
 lesius extitit, non longo intervallo postea sequuti
 sunt. Qui tantum operæ & temporis in ea re con-
 sumpserunt, ut sese ab obliuionis iniuria vindicarent,
 & posterorum omnium suffragia propter vitæ in-
 tegratam modestiamque ineffabilem promereren-
 tur. Huius autem disciplinæ sectatores non nisi de

rebus Delio (quod aiunt) natatore indigentibus solent di gladiari: plurimumque laboris ac vigiliæ impendant peruestigandis naturæ rerû arcanis: Vnde fit, ut mare toties reciprocet, fluxum refluxuq; undarum infatigabiliter patiatur: Cur littora & præscriptas metas nõ prætergrediatur, cû omnium fluminum in se confluentium aquas recipiat: Cur annus modò æstu flagrantissimo sauiat, modò delectabili quadam temperie demulceat, interdû immodicis frigoribus, & pruinis, et nimbis mortales infestet: Vnde fulmina, tonitrua, fulgura generentur. Quarum rerum quæstiones & problemata in philosophorum scholis passim agitabantur, adeoque cogitandi & inueniendi studio tenebantur, ut multi stupidi ac deliri euaderent, nec appositas epulas aduerterent, nec puteos cauerent. De mundi verò primordio præcipuè inter illos disputatio est. Quidam enim ab aquis, alij ab igne, multi ab aere principia rerum fluxisse, autore Lactantio opinati sunt. Circa providentiam varriè disputatum est. Hi verò plures fuere, qui providentiam omnino negarent. Empedocles autem a-

pud Græcos, Lucretius verò apud Latinos natura-
 lem Philosophiam carmine complexi sunt. Reliquum
 est ut ad moralem Philosophiam, quã Græci ἠθικὴν
 appellant, conuertamur. Quam Socrates ille Apol-
 linis oraculo sapientissimus iudicatus tanquam cœ-
 lestem è cœlo euocauit: neglectisq; atque repudiatis
 naturalium philosophorum questionibus atque ar-
 gutijs, quæ ad bene beateq; viuendum nihil omnino
 conferunt, totum se eius studio addixit. De cuius lau-
 dibus quid attinet dicere? cum parens ille eloquẽtiæ
 Cicero in Catone maiore dicat, nunquam satis lau-
 dari dignè posse Philosophiam. Cui qui pareat, om-
 ne tempus ætatis sine molestia possit degere. Nam
 ceteræ disciplinæ etsi magnificæ egregiæq; per se
 ipsæ habeantur, tamen ne minima quidem ex par-
 te cum hac sunt conferendæ: quæ ad sanandas ani-
 mi aegritudines, ad extirpandas vitiorum radices,
 ad insatiabilem mortalium cupiditatem, ad cõtem-
 nendas opes salutaria remedia suggerit. Hanc ve-
 ritatis scientiam diuinam, & cælo & mundo mi-
 rabilesq; delectationes afferentem appellat Aristo-
 teles. Seneca verò de ea sic, & quàm verissime scri-

bit, Philosophia animum format & fabricat, vitã disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat. Sine hac nemo securus est. Philosophandum est: siue fato cuncta reguntur, siue casus res humanas impellit, siue Deus vniuersi arbiter & cõditor cuncta disponit. Et ad Lucilium alibi, Philosophiæ seruias oportet, vt tibi cõtingat vera libertas. Siquidem eius præceptis permulti instigati tyrannos occiderunt, vt se, ciuesq; suos seruitute oppressos assererent. Non aliam mediis fidius præter hanc salubriorem animi tui doloribus medicinam adhibueris. Docet enim quonam modo anxietatibus animorum, cruciatibusq; corporis sit occurrendũ: quãtoq; studio mutabilia fortuna & bona negligi debeãt: & ad virtutis probitatisq; amorem omnium animos inflamat, & quibusdam quasi calcaribus extimulat. Calamitates autem & miseras, quibus humana vita passim redũdat, moderatè ferẽdas esse persuadet. Præterea in aduersis fortitudinem, in secundis moderationem multis & varijs exẽplis propositis retinere nos iubet. Vnde Cicero quinto Tusculanarum questionum sic ait, O vitæ Philosophiæ

7^A DE DISC. OMNIUM

dux, ô virtutis indagatrix, expultrix vitiorum.
 Qui non modò nos, sed omnino vita hominum si-
 ne te esse potuisset? Tu vrbes peperisti, tu dissipatos
 homines in societatem vitæ conuocasti. tu eos inter
 se primo domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum
 & vocum coniunctione iunxisti. Tu inuentrix le-
 gum, tum iugistra morũ & disciplina fuisti. Ad te
 cõfugimus, a te opem petimus, tibi nos, vt antea ma-
 gna ex parte, sic nunc penitusque tradimus. Alibi
 etiam in primo sic scribit. Philosophia verò omniũ
 mater artium quid est aliud, nisi, vt Plato ait, do-
 num, vt ego, inuentum deorum? Hæc nos primũ
 ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod
 situm est tum ad modestiam magnitudinemque
 animi, erudiuit: eadẽque ab animo, tanquam ab
 oculis caliginem dispulit. Idem rursus de Orato-
 re, Philosophiam omnium laudandarum artium
 procreatricem & quasi parentem ab hominibus
 doctissimis iudicari scribit. Plutarchus autem
 his verbis hanc præstantissimam disciplinam ce-
 lebrat, Animorum ægritudines atque languores
 sola est quæ curet ac medeatur Philosophia. Per

hanc enim & scire licet, quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, & summatim quid deligendum, quid fugiendum, quomodo parentibus, quomodo natu grandioribus, quomodo peregrinis, magistratibus, amicis, vxoribus, ac seruis utendum sit: utq; deos veneremur, parentes honoremus, seniores vereamur, legibus obtempere-
mus, magistratibus cedendum sit, amicos deligere oporteat, in mulieres seruare modestiam, charos habere liberos, minimè seruire cum seruis: & quod maximum est, in prosperis fortuna & successibus lætitia non effundi, nec in aduersis casibus tristitia deprimi, nec omnino voluptatibus esse deditos, nec ita per iracundiam affici, ut belluarum animos induamus: quæ ex omnibus Philosophiæ bonis antiquissima iudico. Deficiet me profecto dies, si quantas commoditates afferat hæc disciplina, prætione complecti velim. Ea enim duce ab his tenebrosi carceribus ad optatæ beatitudinis metâ peruenimus: eadēq; gubernatrice trāsmiſsis malorū scopulis, superatis humanæ fragilitatis periculis, salutaris portū attingimus: labor ūq; & molestiarū, qui-

bus mortales ferè opprimuntur (quod deplorat Eu-
 ripides) victores euadimus. Res autem domestica
 quemadmodum sit administranda, & Respub. gub-
 bernanda, reliquæ duæ partes, videlicet Oeconomi-
 ce, & Politice, de quibus satis multa Aristoteles
 scripta reliquit, copiose docet. Quare per magni ci-
 uitatum interesse censeo, huius sapientiæ studiosos
 habere rectores, ut patriæ cõmoda suis anteponan-
 t: sciantq; ciues suos benignè & humaniter tractare,
 ac honorificè habere: & ut semel finiam, nihil mo-
 liantur quod communi omnium vtilitati perniciè
 sit allaturũ. Vnde Flaccus, Hoc opus, hoc studium
 parui properemus & ampli, Si volumus patriæ, si
 nobis viuere chari. Sed heu dementiam hominum,
 qui liberos suos statim alys friuolis & inutilibus ar-
 tibus erudiendos tradunt. Cum prius ad hanc, tan-
 quam ad omnium virtutum theatrum fuissent de-
 ducendi, ut eius præceptis primo quoque ætatis tem-
 pore initiarentur. Quare mirari nemo debet, si tã
 perditis atque flagitiosis ciuibus penè omnes ciuita-
 tes refertæ sint. Qui cum pueritiam iuuetutemq;
 nullis bonis artibus disciplinisq; excolendam exer-

eendamq; duxerint, reliquam etatem inualefcenti-
 bus vitijstransigantneceffe est. Sed iam de Medi-
 cina, quæ quoque Philosophiæ parte est, verba facia-
 mus. Nec illa minore præconio referenda. Siquidẽ
 antiquitate, neceffitate, vtilitate cæteris præstat.
 Quæ tria disciplinam quamlibet commendare &
 nobilitare in primis solent. Nam si vetustatem re-
 quirimus, ante Troiani belli tempora Medicinam
 iam fuisse accepimus. Quo in bello duo Aescula-
 piij vetustissimi autoris filij, si Homero credimus,
 Agamemnoni, Græcisq; vniuersis Troiam obsidẽ-
 tibus operam præstiterunt. Sed in eaduntaxat par-
 te, quæ ad manum pertinet: Græci $\chi\lambda\epsilon\gamma\epsilon\gamma\iota\kappa\iota\upsilon\eta$ no-
 minant. Alij verò Arabum Apollinis filium, alij
 Chronem herbaria, seu medicamentaria, quæ Græ-
 cè $\phi\alpha\epsilon\mu\alpha\kappa\delta\tau\iota\kappa\eta$ appellatur, autorem credidere.
 Aegyptij autem Medicinam vniuersam se omniũ
 primos inuenisse gloriantur. Ab hac antiquitatis
 religione emerfere deinceps clarissimi viri, qui ru-
 dem prius & impolitam totam scientiam illustra-
 runt excolueruntq; ; sapiẽtiæq; studio coniunxerunt.
 Cuius pars præcipua apud priscos Medicina habita

est. Nam & morborum curatio, ut Celsus tradit, & rerum naturæ contemplatio subijsdem auctoribus nata est. Eandem fuisse tunc utriusque materiam quis non videt? Sed procedente demde tempore, quem admodum ornatè dicendi, & rectè faciendi disciplinas ante eam cōnexas & cōiunctas, ab iisdem præceptoribus traditas, atque vno Philosophiæ nomine appellatas, ut apud Platonè est, primus Socrates separavit, commune nomen eripiens, & dissidiū illud inducens, quasi linguæ atque cordis. Absurdū sanè, ut Cicero inquit, inutile, & reprehendendum, ut alios sapere, alios dicere docerent. Ita Physicorum, atque Medicinæolim coniuncta disciplina primū diuulsa & separata ab Hippocrate (si dari separatio potest in tam amico socioque complexu) Sed ita datur, arbitror, ut medico sat agente quiescat physicus: & ubi desinit hic, ille incipiat. Nec ob id tamen eius dignitas vel tantillum decreuit. Nā ut Philosophia animi medicina dicitur: ita Medicina humani corporis quedam philosophia. Quid autem homine præstantius? Quid excellentius in rerum natura? Quauis, si vera dispicimus, non

minus animæ ipsius, quàm corporis curam gerat, qui Medicinam profitetur: cum nulla re magis quàm ipsius corporis fulturis animum retineri ac recreari constet. Quid dicam de necessitate, quid de utilitate inæstimabili huius scientiæ salutaris? In qua excelsa illa priscorum ingenia, & recentiora a deo profecere, ut solam eam veluti aliquod in terris numen infirmitas hominum aduocet atque imploret, cum periclitantibus in hoc vitæ salo mortalibus, ac penè iam naufragium facientibus optatissimum salutis portum ostendat: morbósque mortiferos, cuiusmodi sunt, ad motis quibusdam medicamentis, præter egrotantium spem, procul depellit. Hanc cum fatis ipsis depugnantem continuò admiramur, eaque identidem expugnantem. Hæc & languentibus, & penè deploratis manum porrigit, vitamque protendit, sanitatem toto corpore exulantem, & veluti perpetuò relegatam pristinis sedibus restituit. Quo factum, ut nonnulli iam propè funerati Medicinae opera ad luminis auras tanquàm postliminio redysse crederentur. Quod & Hippocrati ipsi, &

Asclepiadi potissimum adscribitur. Quorum alter, cum pestilentiam ex Illyrico in Græciam venientem persensisset, expulit salutari remedio atque eliminavit. Ob id ei Græci honores Herculi pares decrevere. Alter dum fortè ignoto funeri occurreret, relictum hominem ab rogo atque servatum domum remisit. Idem ꝑ; cum fortuna sponsionem fecisse dicitur, ne medicus crederetur, si unquam ægrotasset: victoremq; iam multo ævo confectum lapsu scalarum obvissse tandem. Pleraque istiusmodi mera miracula eos maximè celebrant, qui Empirici dicebantur. Adde quòd medicorū auxilia non ad unum aut alterum, sed ad omnes totius civitatis ordines, ad omnem sexum, ad omnem ætatem spectant: adeò ut meritò illud dici possit, medicum rem esse communem terrarum omnium, cum mortalibus salutis leges quotidie sanciat, quotidie proferrat. Sanitate autem nihil utilius civitati dixit Galenus. Quam scientia nostra veluti finè optatissimum non minus sequitur quàm consequitur. Non ab re igitur tam præcellentis scientiæ originem ad deos referre non dubitavit prisca illa simplicitas.

minus proculdubio caeleste non nisi caelo ipso repen-
 di posse existimavit. Illud verò silentio prætereun-
 dum non est, videlicet Medicinæ artem in tria esse
 membra diuisam, in Logicen, Empiricem, Metho-
 dicen. Logice, quæ Latinè dicitur rationalis medi-
 cina, quæ causas morborum abditas scrutatur. Em-
 pirice ab experientia nomen accepit, tanquã ab ex-
 perimentis medicina deducta sit: cuius professores
 Empiricos vocant. Methodice verò est intermedia
 ac veluti in confinio collocata. Itaque Methodici
 medici nec rationalibus medicis, nec Empiricis vo-
 lunt annumerari. Logicus medicus, qui alio nomi-
 ne dicitur dogmaticus, fuit Hippocrates, qui Clini-
 cen quoque medicinã instituit: unde Clinici medici
 nominati sunt. Empirici fuerunt Philippus Chous,
 & Serapion Alexandrinus. Methodici verò Ar-
 chigenes, & Themison. Galenus Logicam, hoc est
 rationalem medicinam, & dogmaticos medicos cū
 primis probat: reliquos insectatur. Hæc tria Medi-
 cinæ genera eleganter complexus Ausonius. Tri-
 plex quoque forma medendi, quæ logos, aut metho-
 dos, cuique experientia nomē. Præterea in tres par-

tes Medicina deducta est, quarum una victu, altera medicamentis, tertia manu medetur. Primam dieteticam, proximam pharmaceuticam, tertiam chirurgicam nominarunt. Sed cur tandiu libet morari, cum me iuris civilis scientia iam dudum expectet, laudēsque quasi pro suo iure sibi quoque adscribi vehementer postulet? Liquet autem ius civile constare legibus, quæ ad communem humani generis utilitatem constitutæ sunt. Vnde est illud apud Ciceronem de Legibus, Constat profecto ad salutem civium, civitatūque incolumitatem, vitamque hominum & quietam & beatam inventas fuisse leges, utpote faciendorum præceptrices, non faciendorum prohibitrices. Nec enim adducar, rectè aut commodè à quoquam exerceri posse, nisi Philosophiæ idem sit studiosissimus. Cuius præceptis leges refertissimas esse apparet. Quæ profecto si paulum cessarent, aut tantulo temporis curriculo intermitterentur, proh quanta omnium generum sceleribus rima, quin potius latissima fenestra patefieret: quanta sceleratissimo cuique ad perpetranda quævis facinora licentia permitteretur? Quos adul-

teria, stupra, cædes, rapinas passim exoriri, atque
 quasi hydræ capita renasci & repullulare cerne-
 res? Quis non solutis habenis piraticã exercuisset,
 viator esque incautos adoriretur, mortisque suppli-
 cio, quod multò deterius est, afficeret? Quis non in
 sacras ædes, diuorum imagines aureas, vasaq; ar-
 gentea sacris destinata ablaturus audacissimè ir-
 rumperet, omniãque sui sceleris prædam faceret?
 Nec enim sibi perditissimus quisque posset tempe-
 rare, quin in optimum quenque minabundus im-
 petum faceret, nisi legum maiestate deterreretur,
 penamque acerbissimam sibi à iure irrogandã per-
 timesceret. Saluete igitur mortalium omnium tu-
 tatrices leges sanctissimæ, quibus pro clypeo, & mu-
 ris utimur ad repellendas calumniantium insidias:
 vestroque beneficio tranquillissimos somnos duci-
 mus, violentiamque minitantium effugimus, im-
 piorumque perniciosissimas vires contemnimus.
 Saluete, inquam, humani generis propagatrices,
 quæ ut à nemine nobis periculum impendeat, effi-
 citis: & tam infimæ classis homines, quàm claro
 maiorum genere natos æqua lance expenditis.

Quid obsecro, Seuerissimi patres, legibus opportunius, aut necessarium magis maximus ille rerum artifex elargiri potuit? Ex quibus, ut Ciceronis verbis utar, & dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, iustus, atque honestus labor honoribus, premijs, atque splendore decoratur. Vitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte mulctantur. Et docemur non infinitis concertationumque plenis disputationibus, sed autoritate nutuque legum domuias habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, mentes, oculos, manus ab alienis abstinere. Nonne omnia, quae ab eodem Deo nobis tradita sunt, per deterrimorum hominum vim atque insolentiam eriperentur, nisi ealegum & iuris beneficio corroborarentur? Caterum, quando in iuris mentionem incidimus, non omittam Lycurgum, qui seuerissimas leges Lacedaemonijs condidit, ac illas spontaneo exilio, cum se Delphicum oraculum consultum ire diceret, perpetuas reddidit. Draconem etiam, qui primus omnium leges, quibus Athenienses uterentur, tulit: & praeter eas praecipua quaedam scripsit

tribus versuum. Cuius tanta fuit seueritas in ferendis legibus, ut in prouerbio apud Athenienses abierit, leges Draconis sanguine conscriptas humano, quo facilius improbissimus quisque à flagitijs deterri posset. Hunc subsequutus est Salaminus Solon. Ariopagi conditor, qui post longam orbis terrarum peregrinationem, & exploratos omnium populorum & nationum mores leges tandem aliquantulo leniores Atheniensibus condidit. Romani autem iuris Romulum Urbis conditorem auspiciū dedisse, apud vetustissimos nec minus probatos autores comperio. Qui populum in triginta partes diuidendum censuit, quas curias appellauit: propterea quod tunc Reipub. curam per sententias partium earum expediebat: & ita leges quasdam Curiatas ad populum tulit, autore Pomponio in primo Digestorum volumine. Deinde sequentes reges leges itidem condidere, quas Sextus Papyrius sub Tarquinio prisco collegisse fertur, atque in ordinem redegit. Inde ius Papyrianum cognominatum fuisse opinor. Post exactos reges, cum per decem annos regia leges conticuissent, decem viri creati sunt (ut auctor est Li-

uius) qui à Lacedæmonijs leges, & Atheniensibus
exigerent: quas cum impetrauissent, eas eboreis ta-
bulis incisas in foro pro rostris affixere, vt omnibus
lectitare volentibus expositæ forent. Verùm se-
quenti anno duæ tabulæ adiectæ sunt, cum decem
nō amplius à Grecis reportarentur. Vnde lex duo-
decim tabularum sibi nomen acciuit. Inde fuit pru-
dentium autoritas & disputatio in foro, quæ cōm-
muni nomine ius ciuile dicitur. Inde excogitatæ sunt
actiones quædam, quibus homines inter se disputa-
rent: quas collegium Pontificum interpretabatur.
Has actiones Appius Claudius ad formam redu-
xit: & volumen earum Cneus Flavius eius scriba
libertini filius surreptum populo tradidit. Cui id
munus adeò gratum fuit, vt Flavius Tribunus ple-
bis crearetur, & ad Senatoriam dignitatem eue-
heretur. Inde Flauianum ius vocitari cœptum est.
Iuris ciuilis scientiam plurimi & summi viri pro-
fessi sunt: de quibus puto silendum, ne quam mihi ca-
lumniam, vobis verò molestiam & satietatē propter
illorū multitudinem numerūque propè infinitū
afferam. Postea verò diuinum ac sacrum ius & in

primis venerandum pontifices maximi Apostoli-
 cæ sedis moderatores cœlesti (ut opinor) mente af-
 flati sanxere statueruntque: quod Pontificium seu
 manus, Canonicum ius appellatum est. Quod cum
 profano iure, hoc est, ciuilitate amice coniurat, tan-
 tumque habet similitudinis & vicinitatis, ut al-
 terum alterius adminiculo indigeat. Nec enim
 Pontificias sanctiones callere, & peruestigare
 quisquam potest, nisi latissimis legum campis diu
 multumque desudauerit, eiusque uberrimos fon-
 tes perbiberit. Hoc itaque ius à sanctis viris, qui
 Dei maximi vices in terris gerunt, vel ob id maxi-
 me fuisse opinor, ut Christi quoque ministris sicut
 & profanis sua iura extitissent: nec sacrorum ri-
 tus minus solènter, quàm oporteret, fieret. Quod ve-
 rò attinet ad huius cõmendationem, multò leuius &
 mitius hoc, quàm illud existimari solet. Nã multis
 in locis iuris ciuilibus acerbitatè mitigat. Quo quidè iu-
 re vniuersos cultui sacro deditos imbui deceret, qui
 ad sanctæ matris ecclesiæ tractandas ceremonias, &
 mystica fidei nostræ sanctissimæ sacra peragenda
 accesserint, ut rectius atque plenius suo munere

fungatur. Nec in celebrandis sacris titubandi locus
 esset. Præterea scirent, quid facere, quid fugere cõ
 ueniret, quod ad hanc sacrosanctam dignitatem
 deceret. Verùm ipsi tantum abest ut iuris pontifi-
 cii scientiam attingant, ut pessime oderint. Nec mi-
 rum id, cum puerilia Græmatices rudimenta, qui-
 bus abundare oportuisset, intestino odio persequan-
 tur. Quare quid miramur eos, quibus sacerdotium
 iure contigit, literarum expertes passim occurrere,
 cum laboris sint fugitantiissimi, malintque Phæa-
 ces nitidi & obæsi euadere: quàm sesquihoram stu-
 dii literarum, quibus maxime indigent, contere-
 re? Quòdque magis dolèdum est, redditus annuos &
 pingua sacerdotia, pauperibus alioqui impertien-
 da, per summam lasciuiam & immoderatum lu-
 xum penitus absumunt. Superest, quando ad colo-
 phonem nostram iam properat oratio, omnium do-
 cetrinarum principem Theologiam in medium ut
 prodeat adhortari. Sed heu me dementem & stoli-
 dum, qui tam imbecillo nauigio profundum mare
 traicere inconsideratè aggredior. Nec enim vete-
 rum oratorum, quotquot prisca illa & aurca atas

tam Atheniensium, quam Romanorum tulit, torrentem facundiam, acerrimum ingenium, exquisitissimam eruditionem, huic scientiarum omnium reginæ pro merito extollendæ posse suppetere iure optimo arbitror: nedum ego homuncio nullo ingenio, nullaque eruditione, aut verborum copia præditus, istiusmodi onus alioqui graue & formidabile suscipere non exhorrescam. Cum exploratiuè habeam hanc sublimem disciplinam non in terris agere, aut inter huius mortalis vitæ tenebras vagari solere, sed potius inter cœlites cœtusque angelicos versari, Dei que Opt. Max. arcana indagare, & mysteria diuinitatis eius perscrutari solitam. Quam velut dominam ducemque sapientissimam cæteræ disciplinae, utpote famulæ & ancillæ comitantur & sequuntur. Cuius propè infinitas laudes, quæ à nemine non solum prædicari, sed nec cogitari quidem poterunt, nisi diuino ingenio afflaricontingerit, alijs longè doctioribus prædicandas relinquã. Mihi tantum liceat admirari, & perpetuò venerari. Malique me intra mediocritatis limites continere, quam ea dicere, quæ infra eius dignitatem di-

Et a fuisse videantur. En vobis, vigilantissimi iuue-
 nes, candidissima disciplinarum omnium atria ut-
 cunque patefecerunt. Vestræ nunc fuerint partes certa-
 tim adniti, neruôsque omnes intendere, ut in amœ-
 nissima illarum cubicula, secessusque recipiamini.
 Quod ut facile fiat, multa a vobis, anxietate no-
 Eturmo diurnoque labore elaborare oportet. Ocium
 verò, quoniam nihil perniciosius, propulsandum fugan-
 dumque est: ne desidia, quæ velut Siren quædam,
 ut ille inquit, homines in perniciem trahit, locus ali-
 quis relinquatur: quo facilius teneri adolescentium
 animi à libidine ad laborem reuocentur. Vigent
 iam nunc studia, proferant se ingenia, alter alterum
 quam maxime poterit, ad inelucta bonarum artium stu-
 dia capeffenda adhortetur. Hoc opus, hoc studium,
 hoc negocium sit. In his vestri somni, vigiliaque re-
 ponantur. Nullum non diem modò, sed ne horam qui-
 dem prætermitti patiamini, in qua non de studiis,
 quæ quisque sectabitur, diligenter disputetis. Quod
 ne laboriosum existimetur, veterum exempla propo-
 nite, & eorum mores tanquam in speculum inspici-
 te. Quorum testimonia pro tripode Apollineo habenda

arbitror. Plinius superior, vir (ut nostis) citra con-
 trouersiam doctissimus omne tempus perire arbitra-
 batur, quod non studijs impertiret. Apelles Couis pi-
 ctor celeberrimus, Alexandroque gratissimus nul-
 lum diem sine linea duxisse traditur. Portius Cato
 detestari seipsum solebat, si qua dies inanis per incu-
 riã sibi effluxisset. Quintus Hortensius, qui secun-
 das in eloquentia forensi est assequutus, regimque
 causarum nonnulli esse predicarunt, nullum diem abire si
 nebat, quin aliquid meditaretur. Tantum erat gloriæ
 & virtutis studium apud maiores. Quorum vestigijs
 si vellemus insistere, magna quidem spes addita es-
 set, bonas artes iure quodam postliminij à situ in nito-
 rem redituras. Præterea fama nunquam nos pœnite-
 ret: nomenque nostrum in plusculos annos propaga-
 bimus, si nullam occasionem, punctumue temporis
 labore vacuum fluere per ignauiam permiseri-
 mus. Sed vereor (utinam hoc falso) ne hæc omnia
 ignavis & ociosis pessimum eant. Quibus perpetuo
 feriari dulce est, quique compressis manibus se-
 dent: & in ocio, cui sese dedunt, languorem con-
 trahunt: cum gulæ obsequentes, atque Epicuri de

grege porci, nihil aliud studeant quàm ut pascant
 ventrem, cuius mancipia sunt. Verùm ad corporis
 curam nihil curiosius dici fingi, ue potest. Satis est,
 ut ipsi iactitant, si nitidi, & saginati, & bene cu-
 rata cute populo appareant. Quamobrem vos ma-
 gnopere adhortor moneoque, ne istorum similes eu-
 datis: potiusque dum per etatem licet, studia ipsa li-
 terarum complectimini: animumq; inducite, nihil
 vspiciã inter mortales literis videri honoratius, nihil
 preciosius, nihil deniq; quod magis hominẽ deceat,
 nec quod tantopere à brutis mutisque animantibus
 vos interesse faciat. Nam aurum, argentum, ebur,
 gemme, & reliquæ id genus diuitiæ post nos, alios
 atque alios dominos sortiuntur. nec vnquam norunt
 diu apud quenquam immorari, sed huc atque illuc
 tanquam in talari ludo vagantur. Sapiencia ve-
 rò vestra nunquam esse desinet, si semel ceperit,
 eamque ne mors quidẽ adimet. Itaque expergisci-
 mini. Multa enim nobis opportuna adsunt, ut tem-
 poris iacturam, si quam antehac fecistis, impense
 resarciatis. Habetis enim in hac nobilissima Aca-
 demia viros omni disciplinarum genere cum pri-

miseruditos, quibus ducibus ad fastigia cuiuscum-
 que disciplinæ facile ascendetis. Habetis præterea
 Georgium Fernandum Rectorem incorruptissi-
 mum, Regiūque Senatorem nullo non virtutis ge-
 nere cumulatum, & iuris utriusque facem mican-
 tissimam: quem absit demerendæ gratiæ causa com-
 mēdaverim. Vnus siquidem est, qui olim publicè le-
 gendo, nunc in Senatum Regium accitus integrè iu-
 dicando totius iuris provinciā nobis restituit. Nec
 Athenarum Ariopagum, aut Senensem Acade-
 miā admirari nos sinit: facitque ut omnes ceteræ
 nationes iuris & legum eo superstate palmam despe-
 rent. Habetis insuper urbem ceterarum omnium,
 quæ ubique terrarum fama nobilitantur, pulcherri-
 mam feracissimāque. Quippe quæ amœnitate
 situs, cæli salubritate, frugū fructuūque omniū
 copia, rebūque alijs, quibus mortalis hæc vita maxi-
 me indiget, ceteris antecellat. Quæ omniatam op-
 portuna vel ignavissimum quenque ad studia irri-
 tare possunt. Iura in hanc sententiam exagger-
 rarem, nisi vos ad id obeundum alacres promptissi-
 mosque esse considerem.

DIXI.

Pagina decima octava, versu xv. sic legendum,
Eructant, mixtumque atro cum sanguine virus.

FINIS.

Excussum Conimbrica. III. No. April.

M. D L.









